

VENERABILIS PATRIS  
**LAURENTII SCUPULI**  
CLERICI REGULARIS THEATINI

**CERTAMENT  
SPIRITUALE,**

SEU

**MANUDUCTIO  
SANCTA, ET SOLIDA**

AD

PERFECTIONEM CHRISTIANAM.

**OPUSCULUM**

**CUIVIS CHRISTIANORUM STATUI  
ACCOMODATISSIMUM, ET  
SALUBERRIMUM.**

**EDITIO NOVISSIMA.**



**SUPERIORUM PERMISSU.**



**AUGUSTÆ VINDELICORUM,  
SUMPTIBUS MATTHÆI RIEGER P. M. FILIORUM.**

**M D C C L X X I.**



Vera Effigies Venerabilis P. LAURENTII SCUPULI  
Hydruntini Clerici Regularis, qui obiit Neapoli;  
A° MDCX.

# APPROBATIO.

**S**uperfluum esset varia adducere Præco-  
nia in laudem libelli, cuius titulus est:

**CERTAMEN SPIRITUALE** Auctore Vene-  
rabili P. LAURENTIO SCUPULO Cleric. Re-  
gul. Theatino, postquam in omnibus fere  
Catholicis Regionibus iterato impressus est.  
Hunc libellum commendasse sufficiat, quod  
S. Franciscus Salesius ejusdem Auctorem  
tanquam Magistrum spiritualis vitæ suspe-  
xerit, & hoc ipso libello tanquam duce usus  
sit. Prodeat igitur denuo pro spirituali plu-  
rimorum utilitate in lucem publicam. Ita  
cenfeo. Augustæ Vindelicorum, die 1. Julii,  
Anno 1781.

**JOS. ANT. STEINER,**

**SS. Theol. Doctor, Eminent. ac Sereniss.**  
**Elect. & Archiepisc. Trevir. & Episc.**  
**August. Consil. Eccles. Major Poeni-**  
**tentiarius, Visitator Gen. Confist.**  
**Assessor, Insig. Colleg. ad S. Maurit.**  
**Canon. & Librorum Censor.**

---

*Imprimatur: ex Vicariatu.*

**JOANNES HERZ,**

**SS. Theol. Licent. Eminent. ac Seren. Elec.**  
**& Archiepisc. Trevir. & Episc. August.**  
**Consil. Eccles. Confist. Assessor, & Provicar.**  
**in Spiritualibus General. nec non Canon.**  
**ad S. Gertrudem.**



## PRÆFATIO AD LECTOREM BENEVOLUM.

**L**ibellus iste, quem sub titulo Certaminis Spiritualis jam ante centum, & octoginta annos Devotissimus Dei Famulus P. LAURENTIUS SCUPULI, Clericus Regularis Theatinus, italico idiomate in publicam lucem emisit, in toto Orbe Christiano insignem adeo famam sibi comparavit; ut Mari aquas, & Soli radios affundere jure merito videri posset, quisquis in laudes hujus non utissimi duntaxat, sed vere aurei Opusculi, vel parumper excurreret. Editiones, quæ post primam Italiam in eadem lingua paulo post prodierant, tam frequentes ubique locorum erant, ut ægre in certum numerum cogi valeant. Versiones pariter ejusdem libri brevi admodum temporis spatio in tanta copia e variis prælis emerserunt, ut per Europam universam aut nulla omnino, aut vix ulla fuerit natio, quæ Certamen hoc Spirituale in sermonem vernaculum transferre non omni virium modulo laboraret, non alio profecto fine, quam ut mysticæ aquæ, quæ in vitam æternam saliunt, ex limpidissimo istuc non minus, ac saluberrimo fonte in communem usum cuiusvis Christianæ Provinciæ ubertim scaturirent.

Neque

## P R A E F A T I O.

Neque mirum hoc tibi, Lector Benevole, videri debet; nam quot libellus iste religiosos, suæque salutis cupidos nactus est Lectores, tot etiam facundissimos præcones obtinuit; quorum eximia prorsus elogia in variis Editionibus singilatim proponuntur. Loco omnium horum sufficiat Illustrissimus æque, ac piissimus Genevensium Præful S. Franciscus Salesius; utpote qui tum in Introductione ad vitam dæ votam, tum in pluribus Epistolis ingenue fassus est, se libello isthoc continuis octodecim annis tanquam directore suo spirituali ita constanter usum fuisse, ut omnem Sanctorum Scientiam, qua ipse adeo mirabiliter excelluit, ex eo hauserit, atque in libros a se concinnatos, ac præcipue in suam omni laude majorem *Philotheam*, cumulatissime transfuderit. Præterea quotiescumque aut in Confessionali pœnitentem habuit, qui ad vitam spiritualem paulo ferventius aspirabat, aut quotiescumque quovis in loco, & tempore Christianum hominem deprehendit, qui ad maiorem in dies perfectionem eluctari toto mentis affectu satagebat, toties usum præsentis opusculi, non solum ut maximopere utilis, sed etiam ut valde necessarii qualibet occasione quam impensissime commendavit.

Quam vero singularem existimationem de Scriptis LAURENTII SCUPULI Sanctissimus Antistes toto vitæ suæ tempore & privatim fovebat, & publice contestabatur, eandem alii quoque Reverendissimi Ecclesiæ Præfules, ac præprimis ii omnes, qui se Aſceſeos, & probatores vitæ spiritualis Magistros profitentur, non solum vivæ vocis oraculo, verum & Literariis monumentis certatim ostenderunt. Quinimo eorum, qui viam rectam ad perfectionem spiritualem aut discunt, aut docent, communis hodierna etiam ætate est senten-


## PRÆFATIO.

Sententia, Certamen hoc spirituale famoso illi libello de imitatione Christi vel esse æquale, vel certe nulli alteri in tanta librorum spiritualium multitudine secundum. Et sane dictis hisce facillem proflus fidem habebis, Lector Benevole! si vel levem obtutum in vitam Auctoris, omni virtutum, ac meritorum genere summe commendabilem, defigere non recuses. Ut enim omnia alia præclare gesta silentio premantur, Scupulus a primo religiosi Tyrocinii ingressu tanta animi contentione perfectioris vitæ studio sese mancipavit, ut deposita necdum solemni Professione omnibus Ordinis sui Sodalibus vivum regularis disciplinæ exemplar, perfectusque Magister Spiritualis probaretur. Sicut autem teste Apostolo virtus in infirmitate perficitur, & aurum per ignem probatur. ita pietas, & doctrina Scupuli graves perpessa calamitates ad summum denique Christianæ perfectionis apicem ascendit, in quo tamdiu immobilis perststit, donec vitam pientissimam mors pariter sanctissima exciperet. Cum igitur etiam puro virtutum omnium, & sanctioris præsertim doctrinæ speculo nonnisi purissimi consequendæ salutis æternæ radii promicare valeant, tuum jam erit, Lector Benevole! hoc salutare speculum usui tuo quotidiano consecrare. Præterquam enim quod proprios animæ tuæ nævos ad oculum tibi exhibeat, eosque emendare doceat, tutissimam viam ad perfectionem spiritualem saluberrimis monitis, regulis, ac mediis monstrat, rectoque tramite ad vitam æternam perducit.





## LIBER PRIMUS. CERTAMEN SPIRITUALE.



### CAPUT I.

*In quo consistat vera Christiani hominis perfectio; quod pro ea pugnandum sit; & de quatuor mediis ad eam obtinendam necessariis.*

**S**i cupis, Fili mi, ad veræ perfectionis apicem ascendere, Deoque tuo adhærendo fieri unus, & idem spiritus cum eo, (quo nihil majus, nihil melius, nihil præstantius excogitati potest) ante omnia scias oportet, in quo sita sit vera spiritualis vitæ perfectio.

Multi enim, absque matura consideratione prius facta, crediderunt, perfectionem hanc constitutam esse in vitæ asperitate, carnis maceratione, ciliciis, disciplinis, jejuniis, & vigiliis multis, aliisque similibus corporis afflictionibus, & mortificationibus.

*Scupuli Certamen.*

A

Alii,

Alii, (& præsertim mulieres) putarunt, se ad summum perfectionis gradum pervenisse, cum plures vocales orationes recitant, multis sacris; divinisque officiis assistunt, & templa, atque Communiones frequentant.

Alii (inter quos etiam quandoque non nemo religiosus in Monasterio degens) sibi persuaserunt, perfectionem hanc in chori frequen-tatione, in silentii, solitudinis, & reliquæ re-gularis disciplinæ exacta observatione omnino esse radicatum.

Atque ita, quidam in his, quidam in aliis hujusmodi actionibus exterioribus fundatam exi-stimarunt.

Quod tamen ita non est; quia, licet præ-dicta opera, & exteriores actiones aliquando sint media veræ perfectionis acquirendæ, ali-quando effectus, & fructus ejusdem perfectio-nis jam acquisitæ, nunquam tamen dici potest, hanc veram perfectionem, & spiritum in illis tantum consistere.

Sunt equidem media efficacissima ad verum spiritum consequendum iis, qui bene, pruden-terque eisdem utuntur, scilicet; ut robur ac-quirant contra propriam malitiam, & fragili-tatem; ut se muniant contra incursus, & insi-dias infernali inimicorum; & demum, ut illa spiritualia auxilia congerant, quæ omni-bus Dei servis, & maxime tyronibus in hac spirituali palæstra, necessaria sunt.

Sunt etiam fructus, & effectus spiritus jam acquisiti in hominibus vere spiritualibus qui  
Corpus

corpus suum castigant, (eo quod Deum offendunt) ut illud subiectum, & humiliatum reddant ad obsequium ejusdem Dei, degunt in solitudine, & silent, ad evitandas vel minimas occasiones peccandi; atque ut in cœlestibus habeant conversationem, ad cultum Divinum, & pietatis opera incumbunt; orant, & meditantur passionem Jesu Christi, non curiositatis, & consolationis causa, sed ut propriam malitiam, & perversitatem, nec non Domini clementiam, & bonitatem melius agnoscant; tum etiam, ut magis, magisque in se amorem Divinum, & sui ipsorum odium in semetipsos accendant: per abnegationem, bajulantes semper Crucem post Filium Dei; ac tandem divina Sacra menta frequentant ob majorem Domini honorem, & gloriam; ut cum eo intimius uniantur, utque novas, & validiores vires contra adversarios in via spirituali recipient.

Aliis tamen, qui in supradictis exterioribus operationibus totum fundamentum perfectionis ponunt, ruinam, (non ratione operationum, quæ in se bona cæteroquin sunt, sed propter malam utensilis dispositionem) & exitium facilius causant, quam manifesta facerent peccata, eo quod, illis exterioribus tantum vacantes, interiorem hominem negligunt, & cor suum in manu proprietarum inclinationum, & occulti dæmonis relinquunt, qui eos extra viam rectam perfectionis aberrantes videns, non solum eosdem finit cum interno solatio in dictis exercitiis progredi, verum etiam ita iisdem delectari,

ri, ut Paradisi deliciis frui videantur; putentque se elevatos esse inter Angelorum choros, ac Deum intime sibi loquentem audire; unde nonnunquam in quibusdam curiosis, altisque, ac sibi dulcissimis contemplationibus absorpti adeo sunt; ut mundi, & creaturarum omnium se oblitos credant, atque in tertium usque Cœlum elevatos.

Sed in quam gravibus erroribus isti implacentur, quamque longe a vera perfectione (quam nos quærimus) absint, facile ex eorum vita, & moribus deduci potest; Similes enim homines in omnibus rebus magnis, & parvis, anteferri aliis volunt, aliisque præire: sunt duræ cervicis homines, in voluntate propria obstinati, cæcutientes in suis, curiosi in alienis, ac dicti, factique alterius murmuratores.

Quod si, vel leviter, tetigeris vanam reputationem, in qua se esse putant, & ab aliis haberi volunt, sibique complacent: eosque ab ordinariis, & inanibus eorum devotionibus removere contenderis, subito commoventur, indignantur, & infaniunt.

Adde: Si Deus ipse tribulationes, dolores, & infirmitates eis immittat (quæ omnia nunquam, nisi volente Deo contingunt, lapisque Lydius sunt, quo fideles servos suos probat) vel eosdem ab aliquibus persecutionibus torqueri permittat; ut ipsos ad veram sui ipsumrum cognitionem, & veræ perfectionis viam reducat, statim, falsum esse fundamentum suum, ostendunt, corruptaque eorum præcordia superbiā

perbiam eructant. In quocunque enim eventu, adverso, vel prospero, nolunt se resignare, & humiliare sub potenti Dei manu ; acquiescendo justis semper, quantumvis absconditis ejus judiciis ; neque volunt ad imitationem ejusdem humillimi, & patientissimi Filii Dei se subjicere omnibus creaturis, & velut amicos charissimos, persecutores, & inimicos suos amare, qui divinæ sunt instrumenta misericordiæ, atque ipsorummet perfectionis, & salutis cooperatores.

Quare manifestissimum est, hos omnes magna inter pericula versari, quippe quod, cum internum oculum (quo se, & operationes externas, quæ bona videntur, solent inspicere) obtenebratum habeant, multos perfectionis gradus sibi tribuere non erubescunt, sicque magis magisque inflati a nimia sui ipsorum aestimatione, facile ad judicandum, & contemnendum alios descendunt ; neque aliquid invenitur, quod ab hisce eos avertere valeat, præter extraordinarium auxilium Dei ; facilius enim ad veritatis viam reducitur manifestus peccator, quam occultus, & virtutum exteriorum vestibus palliatus.

Vides igitur, fili mi, evidenter, & clare ex sermone meo, quod in nulla prædictarum rerum vera vitæ spiritualis perfectio sita sit : Quam, sciendum tibi est, in alio non esse possum, nisi in cognitione bonitatis, & misericordiæ divinæ : miseriae, nullitatis, & propensionis nostræ ad omne malum : in Dei amore,

& nostri ipsorum odio: in subje<sup>t</sup>ione omnium nostrarum rerum non ipsi tantum Deo, sed, ob ejus amorem, singulis quoque creaturis ejus præstanda; in cuiusvis nostræ voluntatis abrennunciatione; atque in totali nostra resignatione in complacentiam divinam quin insuper in hoc, & quidem potissimum, ut prædicta omnia velimus, & operemur ob nullum aliud motivum, quam ob Dei honorem, & gloriam ob ipsius beneplacitum, & qua sic ipse vult, atque meretur ab omnibus creaturis coli, & amari.

Hæc est amoris lex ab ejusdem Domini dextera in suorum fidelium servorum cordibus impressa.

Hæc est nostri ipsorum abnegatio, quæ a nobis requiritur.

Hoc est suave ejus jugum, & onus leve.

Hæc est obedientia illa, ad quam nos verbo, & exemplo Redemptor, & Magister nos vocat.

Quia vero (ubi ad tantæ perfectionis culmen aspiras) vim tibi quotidie inferre debes, ut omnes appetitus, & cupiditates tuæ (quæcunque illæ sint, magnæ, aut parvæ) magnanimitate expugnentur, & ad nihilum redigantur, necesse omnino est, ut ad hoc Certamen Spirituale te præpares, & promptus sis: Non enim coronabitur, nisi qui legitime certaverit.

Quod certamen, quo difficilius est cæteris omnibus, (quia, contra nos ipsos pugnando, a nobis ipsis, eodem tempore, impugnamur)

eo gloriosior, Deoque gratiор est victoria, & corona in ipso obtenta.

Itaque fili mi, si omne studium operamque impenderis, ut inordinatos tuos animi appetitus, & affectus, nec non rebelles passiones, quamvis minimas, mortifices, ac conculces, longe majus, gratiusque Deo, præstabis obsequium, quam si effrenes aliquas ex illis relinquentis, voluntarie flagellis te usque ad sanguinis effusionem cæderes, jejuniisque, & abstinentiis rigidissimis antiquos Eremitas, & Anchoretas superares, seu plura animarum millia ad Deum converteres.

Licet enim, per se loquendo, animarum conversionem Deus chariorem habeat, quam mortificationem alicujus exiguae cupiditatis tuæ, nihilominus id velle, & operari non debes, quod in se excellentius, & præstantius est, sed quod Deus a nobis, ante omnia, vel maxima, exigit, & desiderat. Ipse namque, absque dubio, magis a te quærerit, & desiderat, ut tu certamen suscipias, & ad passionem tuarum mortificationum attendas, quam si, vel unam solam ex istis, data opera, in te permittens indomitam, Deo postmodum in quacunque alia re magna, majorisque considerationis inservires.

Cum ergo, fili mi, satis, superque cognoscas, in quo vera Christiani hominis perfectio fundata sit; quodque ad eam obtainendam continentum, acerrimumque certamen adversus te inire debeas, quatuor hisce validissimis armis, ad victoram in hoc Spirituali Certamine repora-

tandam vel maxime necessariis, instruaris oportet; quæ sunt:

Diffidentia tui ipsius.  
Confidentia in Deum.  
Exercitium; &  
Oratio.

De quibus omnibus, Deo auxiliante, facile, breviterque in sequentibus Capitulis pertractabimus.

## CAPUT II,

### *De Diffidentia sui ipsius.*

**D**iffidentia tui ipsius, Fili mi, tibi adeo necessaria est in hoc Spirituali Certamine, ut sine ista, omnino credere debeas, te, non solum non affecuturum in eo optatam palmam, verum neque affectum, vel minimam passionem superaturum. Hoc tibi maximopere cordi sit, tuæque menti fixum maneat. Nimis namque faciles, & proclives sumus ex peccante nostra natura ad mendacem, & vanam nostri æstimationem: quæ licet aliud non sit, quam purum Nihil, nobis tamen persuaderemus, magnum quid eam esse, multumque nobis conferre. Ex quo fit deinde, ut absque ullo vero, & firmo fundamento vires nostras pensemus, atque de illis multum præsumere audeamus.

Error hic, qui non adeo facile cognoscitur, magnopere displicet oculis Domini, qui diligit, cupidique in nobis sinceram tantæ, ac tamen infallibilis hujus veritatis cognitionem nempe, quod quævis vera virtus, & gratia ab ipso tantum

tum Deo (qui est fons totius boni) ad nos derivetur; quodque a nobis, ut a nobis, nihil, ne quidem sensus bonus haberi possit, qui ei placeat.

Quamvis vero hæc tam necessaria diffiden-  
tia de nobis, sit ipsa quoque opus divinæ ma-  
nus, quam Deus dilectis amicis suis, modo  
per sanctas, & internas illustrationes: modo  
per aspera verbera: modo per violentas, &  
pene insuperabiles tentationes: & modo per alia  
media a nobis percepta, solet porrigere; vulnus  
nihilominus, ut & nos, quantum in nobis est,  
faciamus. Quare quatuor tibi offero media,  
per quæ, Deo juvante, talem comparare diffi-  
dentiam possis.

Primum est, ut mediteris, & profunde in-  
quiras exiguitatem, & nihilum tuum. Ex te  
enim nihil boni prorsus facere sufficis, quo cœ-  
lorum ingressum merearis.

Secundum est, ut ardentibus, humilibus-  
que petitionibus talem diffidentiam sæpe a Do-  
mino flagites. Ejus enim est donum. Ut au-  
tem eam obtineas, considerare debes animam  
tuam, non solum ipsa carentem, & nudam,  
sed omnino etiam impotentem ad eam conse-  
quendam. Hoc modo te divinæ multoties si-  
stens majestati cum fiducia, quod eandem tibi  
Deus, ob suam benignitatem, sit largitus,  
constanterque perseverans, & expectans totum  
illud tempus, quod fuerit a divina providen-  
tia designatum, sine dubio illam impetrabis.

Tertium est, ut assuescas timere te ipsum, tuum proprium judicium, vehementem tuam proclivitatem ad peccandum, & innumerabiles inferorum hostes, quibus tu, ex te solo, neque vim minimam facere vales; ut agnoscas antiquam eorundem inimicorum certandi consuetudinem, & deceptions, atque mutationes, quas faciunt, in Angelos lucis; totque artes, & laqueos, quos illi in virtutis, & perfectio-  
nis via abscondunt.

Quartum est, ut (si in aliquem nonnunquam defectum incidet) intimus, profundiusque in meditationem summæ tuæ fragilitatis penetres. Ad hunc namque finem a Deo lapsus tuus permisus est; scilicet, ut per ipsum interius admonitus, & clariori, quam antea, lumine illustratus, diseas te ipsum parvi facere, & tamquam rem vilem, nulliusque momenti aestimare, ita tamen, ut ab aliis eodem etiam modo haberi velis. Absque hac enim voluntate nunquam vera erit tui ipsius dissidentia, quæ in vera humilitate, & in prædictæ cognitionis praxi suum habet fundamentum.

Perspicuum enim est, quod cuilibet cum suprema luce, & cum increata veritate uniri cupienti, necessaria omnino est sui ipsius cognitio, quam superbis, multum de se præsumentibus, per lapsus, ut plurimum, præstat divina clementia; videlicet, cum permittit in aliquem eos errorem incidere, a quo se longe abesse putabant, ut sic se ipsos agnoscentes, de imaginaria, & chimerica sua virtute diffidere erudiantur.

Verum

## CAPUT III.

ii

Verum tamen est, quod hoc medio tam miserabili uti non solet Dominus, nisi cum cætera superius recensita rejicimus, seu non ita nos juvant, ut divina bonitas desiderabat; quæ magis, & minus permittit, hominem labi, quo major, vel minor est ejus superbia, & temeritas; adeo, ut ille, in quo nihil præsumptionis inveniretur (sicut in immaculata, semperque Virginę Dei Genitrice Maria) nulli pariter lapsui, vel etiam minimo, obnoxius foret.

Atque ideo, si te quandoque labi continat, illico ad humilem tui ipsius cognitionem advola, Deumque importuna oratione precare, ut tibi misericorditer impertiri dignetur verum lumen, (quo te agnoscas) nec non etiam veram tui ipsius dissidentiam in te creare. Neque hoc negligas, fili, nisi novum velis lapsum metuere, & quidem primo graviorem.

## CAPUT III.

### *De Confidentia in Deum.*

**D**ilecte Fili, quod in hoc Spirituali Certamine necessaria nobis omnino sit nostri ipsorum dissidentia, immediate superius ostendimus evidentissime. Verum tamen est, quod, si eam habuerimus solam, vel fugiemus, cum sese occasiones objicient, vel ab hostibus nostris vincemur, & superabimur. Idcirco, fili; tibi insuper opus est pura in Deum confidentia; ita ut in ipso totam spem tuam reponas, & ab eodem

codem qualemque auxilium, bonum, aut vi-  
ctoriam tuam expeſtes.

Quamvis enim a nobis, qui Nihil fumus,  
nihil aliud, quam lapsus promittere nobis ip-  
ſis possimus, (qua de causa diffidere totaliter de  
nobis debemus) a Domino nihilominus quam-  
cunque victoriam certo obtinebimus; modo nos,  
& cor nostrum viva in illum confidentia obar-  
memus, quæ quatuor etiam mediis compara-  
bitur.

Primo, si hanc a Domino flagitemus.

Secundo, si intueamur, & consideremus Bi-  
dei oculo omnipotentiam Dei, & infinitam sa-  
pientiam ejus, cui nihil, aut impossibile est, aut  
difficile; imo (cum ejus bonitas mensuram non  
patiatur) paratus, & in promptu est, cum de-  
ſiderio inenarrabili, ad nobis liberaliter donan-  
dum, singulis horis & momentis (ſi ad aman-  
tissima ipsius brachia confugimus) quidquid ad  
vitam spiritualem, & totalem nostri vi-  
ctoriam necesse est.

Et vere, quomodo fieri poterit, quod no-  
ſter Divinus Pastor, qui triginta tres integros an-  
nos post amissam ovem eucurrit, altis adeo vo-  
cibus clamans, ut ad raucedinem usque per-  
venerit: perque viam ita laboriosam, ac spinis  
obſitam, ut totum in illa sanguinem fuderit,  
vitamque suam reliquerit; quando poſtea ip-  
ſum ovis inſequitur, ejusdem præceptis obe-  
diendo, vel ſaltem cum deſiderio (licet quan-  
doque languido) eisdem obediendi, illumque  
omni tempore vocat, & efficaciter deprecatur:  
quomo-

quomodo fieri inquam poterit quod tunc tam bonus Pastor audire nolit , quodque piissimis vitæ oculis non respiciat , atque in divinos suos humeros ovem suam non imponat , gaudens cum vicinis , & Sanctis , Angelisque omnibus Paradisi ?

Quinimo , si nullum medium , solertiam , laboremque prætermisit , ut per hæc in Evangelica drachma cæcum , mutumque peccatorem invenire potuisset , credibile erit deinde ; quod illum despiciat , cum idem peccator , ovis errans , vagatur , & clamat , tenerrimisque suis balatibus Pastorem accersit ?

Et quis unquam sibi imaginabitur , quod Deus , qui perpetuo ad cor hominis pulsat , ardentissime capiens illud ingredi , ut ibi cœnet , donaque sua abundantissime ei communicet : invitatus deinde ab ipsomet homine cordis fores aperiente , vere surdum se fingat , & in eas intrare nolit ?

Tertio , hac ditabimur in Deum confidentia , si memoria ad veritatem sacræ Scripturæ accurramus , quæ tot in locis apertissime ostendit , nunquam confusionem illum passum fuisse , qui confidit in Deum .

Quarto , quod & summopere inserviet ad tui ipsius dissidentiam , nec non in Deum confidentiam consequendam . Cum aliquid agendum occurrit , vel Spirituale Certamen adversus se subeundum est , teque vincere cupis : antequam cogites , & decernas , fili mi , certamen tuum ; mentem in infirmitatem , & miseriam tuam

**t**uam intende, atque omnino de te ipso diffidens, ad divinam omnipotentiam, sapientiam, & misericordiam te converte, firmusque, & constans in illis statue, te operaturum, & pugnaturum imperterritu corde. His autem instructus armis, & Oratione (de qua suo loco dicetur) in bello postmodum congreedi, & dimicare ne pertimescas.

Quod si hunc ordinem servare nolles, eo quod omnia operari videaris cum confidentia in Deum, maxime te a temetipso decipi, scito. Præsumptio enim adeo naturalis, & propria est homini, atque ita subtilis, ut clam semper in eo germinet, & crescat, nec alia ratione, nisi quia dissidentiam de se ipso, & confidentiam in Deo se habere putat, & pro rei veritate non habet.

Ut fugias ergo, fili mi, quoad fieri potest a spiritus præsumptione, atque ut opereris cum dissidentia tui ipsius, opus est, ut consideratio tuæ fragilitatis præcedat considerationem de omnipotentia Dei, & utraque istarum considerationum operationes nostras.

#### CAPUT IV.

*Quomodo cognoscitur, quando homo cum dissidentia sui ipsius, & in Deum confidentia operatur.*

**D**issidentiam sui ipsius, & confidentiam in Deum se obtinuisse multoties videbitur homini de se nimium sententi: & falsum erit. Hoc

Hoc manifestissime cognosces, fili, ex effectibus, quos peccata, & lapsus tui in te parturient.

Si, cum laberis & peccas, inquietus es, tristaris, & in aliquam quodammodo desperationem duceris, eo quod omnino credas, te non posse progredi, signum infallibile est, te non in Deum, sed in te ipsum antea confitum esse.

Si vero multa erit tristitia, & desperatio tua, multum in te, & parum in Deo te confitum esse dubitandum non est; ille enim satis de se ipso diffidit, cum errat, & in aliquem labitur defectum, non admiratur, neque tristatur, & miseret, quia lapsus illum ob fragilitatem suam, & exiguum in Deo confidentiam contingere agnoscit; imo tunc, quo magis de se diffidit, magis etiam in Deum humiliter confidit; ac proinde odio habens praeter ceteris graviores errores suos, motusque inordinatos tanquam causas efficientes illius lapsus, magno quidem dolore afficitur propter offenditam Dei, sed subito quiete, & tranquille absque ulla mora bonum opus aggreditur, & prosecuitur, majorique animo ac robore usque ad mortem contra adversarios assurgit.

Isthæc vellem ut considerarent quidam hominum, qui spirituales haberi volunt; ubi enim isti in aliquem errorem lapsi sunt, non possunt, seu ut melius dicam nolunt secum habere pacem: saepè saepius (ut ab anxietate potius liberantur, & ab animi perturbatione, quæ in illis oritur

oritur ex amore proprio, quam ob aliam causam) ad Patrem spiritualem, statim ac afflictos se vident, accedunt; apud quem tantum esse deberent, ut a peccatorum maculis expiarentur, utque adversus peccata sua per sanctissima Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacra menta, vires auxiliūque acquirerent.

## CAPUT V.

*De multorum errore, a quibus inter virtutes pusillanimitas numeratur.*

**M**ulti in hoc etiam se decipiunt, fili mi, nam pusillanimitatem, & inquietudinem, quæ ad peccatum consequitur (quoniam cum aliqua displicentia semper conjuncta esset solet) virtutem esse existimant, nesciuntque, ex occulta eam oriri superbia, præsumptione, quæ fundatur in sui ipsorum confidentia, nec non in virium suarum imaginaria virtute, in quibus (eo quod aliquid se credebant esse) nimium confidebant. Videntes etenim ex multorum lapsuum experientia, quod vires deficiunt; contristantur, & mœrent, tanquam de re sibi nova, tantque pusillanimes; neque alia ratione, nisi quia cernunt dejectum ad terram sustentaculum illud, quo vane nitebantur, & in quo totam suam fiduciam reposuerant.

Quæ tamen humili non contingunt, qui in solo Deo confidens, nihilque prorsus de se præsumens, ubi in aliquam culpam incidit, etiam si multum doleat, non idcirco inquietus est, neque

que admiratur , sed potius cognoscit, totum id a propria miseria , & animæ fragilitate procedere : quæ omnia optime per clarissimum veritatis lumen suæ mentis oculo intuetur.

## CAPUT VI.

*De aliis mediis , per quæ diffidentiam nostri  
& confidentiam in Deum obtineamus.*

**D**ilecte fili , quia vires omnes , quibus nostros adversarios vincimus ex diffidentia nostri , & in Deum confidentia principaliter desumuntur ; ut easdem , divina favente gratia , consequaris , nova media addo.

Circa tui ipsius diffidentiam scire igitur te insuper oportet , imo firmissime tibi credere necesse est , quod , neque dona omnia , sive hæc naturalia sint , sive acquisita , neque quæcunque aliæ gratiæ gratis datæ , aut totius sacræ Scripturæ intelligentia , vel Deo multos annos deservisse , ac in nobis habitum efformasse , efficient , ut Dei voluntatem faciamus ; nisi in omnibus operibus bonis , quæ agimus : in qualibet tentatione , quam subjugamus : in quovis periculo , quod fugimus ; atque in singulis crucibus , quas ob Deum toleramus : nisi , inquam , in his omnibus adjuvetur prius , & elevetur cor nostrum a Domino per ejus auxilium peculiare : & nisi nobis ejusdem dextera omnipotens porrigatur.

Itaque debemus in tota vita nostra , omnibus diebus , cunctis horis , & quibusvis mo-

mentis ante oculos nostros pōnere prædictam doctrinam; hoc quippe modo facientes, propter nullius argumenti, vel alterius rationis persuasionem, in nobis habebimus confidentiam.

Quoad cōfidentiam vero in Deum scito fili, omnipotenti Deo facilius non esse paucos hostes debellare, q̄am multos; neque difficilius, & expērtos prosternere, quam debiles, & tyrones.

Quare, fili mi, etiamsi anima tua sit sceleribus plena; defectus omnes mundi habeat, & magis deformis videatur, quam dici possit; etiamsi omnia frustra tentaverit: & absque fructu in quocunque exercitio laboraverit, ut peccatum eradicaret, & operationes bonas faceret, nec unquam acquisierit quidquam boni; quinimo, etiamsi quotidie velocius descenderis ad malum, debet nihilominus in Deo semper confidere, & nullo tempore arma, seu exercitia spiritualia deferere; sed strenue, quacunque hora, in prælio pugnare. Quia in hoc Spirituali Certamine solus ille non vincitur, qui semper dimicat, semperque in Deum confidit; nam Deus auxilium suum suis omnibus bellatoribus ubique præstat, quamvis (ut major inde sibi gloria oriatur) eosdem quandoque etiam vulnerari permittat.

Eja igitur, fili, ad certamen egredere; ab hoc namque dependent omnia; tum parata pro vulneribus medicina conservatur, & quidem efficacissima pro militibus illis, qui Deum, ejusque auxilium querunt, cum confidentia in ipsum, & dissidentia propria. Eja igitur iterum dico:

dico: ad certamen prædictis armis instruētus perge, &, quando minus adverteris, tibi conceditur a protegente Domino, hostes invenire peremptos.

## CAPUT VII.

*Dē exercitio, & primo de intellectu, qui caute ab ignorantia custodiendus est.*

**Q**uamvis, fili mi, dissidentia nostri ipsorum, & confidentia in Deo necessaria adeo, ac tanti momenti sint in hoc Spirituali Certamine, nihilominus, quia, si sola erunt, non tantum vincemur, verum etiam in mala multa præcipites ibimus; ideo duobus prædictis tertium armorum genus addere opportunum omnino iudicavi; Exercitiumque vocatur, sine quo certamen stare absque nostro periculo haud potest:

Hoc autem Exercitium principalius ab intellectu, & voluntate fieri debet.

Et ut ab intellectu incipiamus, a duobus hic hostibus (qui solent eum submittere) incolumis est servandus.

Unus ex hisce hostibus (de quo tantum in hoc Capitulo agemus) est ignorantia, qua obnubilatur intellectus, eique cognitio impeditur Veri, quod est ejusdem intellectus objectum. Hinc exercitio, lumen, & amissa cognitio intellectui restitui debet, ut hic intelligere, & reatum judicium ferre possit de illis, quibus opus habemus; ut animam inordinatis passionibus spoliemus, sanctisque eam virtutibus exornemus.

Supradicta vero cognitio, seu lumen dupli medio acquiri potest :

Primo, Oratione, qua Spiritus sanctus postulandus est, ut tales cognitionem, seu lumen dignetur in cordibus nostris infundere. Tantum bonum nobis concedere Deus nunquam renuet, si vere ipsummet Deum solum, divinumque ejus beneplacitum quæsierimus, cunctaque simul una cum nostro iudicio Patrum spiritualium consilio subjiciemus.

Secundo. Per assiduum Exercitium profunda, & puræ considerationis rerum : ut exploremus juxta Spiritus Sancti documenta : quænam illarum vere & intrinsece bonæ sunt, & quænam malæ, & non sicut in extrinseco apparent, sensibus objiciuntur, atque a deceptis mundi hominibus æstimantur. Ab hac consideratione, si bene fiat, nos optime erudiemur, non solum parvi facienda esse, sed vana, & mendacia tenenda illa omnia, quæ cœcus, & corruptus terrarum Orbis aniat, & cupit, quæve mediis, & modis variis diligenter perquirit: item ab honoribus, dignitatibus, deliciisque terrenis nihil aliud gigni, quam vanitatem, & spiritus afflictionem : ab injuriis vero & ignominiis (quas mundus infert) veram provenire gloriam, sincerumque a tribulationibus oriri solatum. Insuper ab hac eadem consideratione docebimur, magnanimitatis esse virtutem, & propinquiores cum Deo similitudinem existimandam: inimicis offendentibus parcere, illisque benefacere; magisque valere, & rem esse nobilio-

## CAPUT VIII.

21

nobiliorē , ac longe plus heroicā , mundū contemnere , quam huic eidē imperare ; tum etiam generosioris , & majoris animi esse indicium , creaturis , vel infimis obedire , quam magnis principibus dominari . Nec satis : ab hac una eademque consideratione nobis ostendetur , humilem nostri ipsorum cognitionem pluriſ ſe habendam , quam ſcientiarum omnium donum : & mortificationem noſtrorum appetituum (quamvis minimi ii. ſint) laudabiliorem longe reputandam eſſe , quam multarum Civitatum expugnationem , & potentissimorum exercituum debellationem ; quinimo , quam miraculorum diſpensationem , & admirabilem moratuorum fuſcitionem .

## CAPUT VIII.

*De altero hoste , ſeu curioſitate , a qua intellegi tueri quoque debemus ut rede decernere poſſit.*

**A**lter hostis , a quo intelleſtus custodiendus eſt , fili mi , curioſitas vulgari nomine appellatur ; ſi enim rebus inutilibus , vanis , & alienis a negotio noſtro intelleſtum replemus , impotentem , & incapacem illum reddimus ad apprehendendum bene id , quod magis , magisque ſpectat ad noſtrā mortificationem , & perfectionem .

Idcirco opus eſt , fili , ut ſiſ velut mortuus omni curioſati rerum terrenarum , quæ neceſſariæ non ſunt , etiamſi tibi licitæ videantur .

Coge semper, & coarcta strictius, qui potes, intellectum tuum, & cura illum dementem, ut ita dicam, efficere.

Novitates, & mundi mutationes (sive parvi sive magni momenti) tibi omnino sint, ac si prorsus non essent. Quod si, te eas non quærente, tuis sensibus objiciantur, invicto corde, & animo illis obfiste, easque rejice.

In desiderio intelligendi cælestia valde sobrius, & humilis esto; neque scire aliud cupias, præter Jesum Christum, & hunc Crucifixum, ejusdem vitam, & mortem, cæteraque sola, quæ a te idem ipse requirit.

A reliquis omnibus abstine, & maximam inde complacentiam percipiet Deus, quia, ut charos, & amicos ipse amat cupientes tantum illa, quæ sufficiunt ad diuinam bonitatem diligendam, & ad Domini voluntatem faciendam. Quæcunque enim alia petitio, & inquisitio, (certus esto fili) nihil aliud est, quam amor proprius, superbia, & diaboli laqueus.

Si monitis meis aures dederis, fili, multas poteris insidias devitare, quas callidus, & antiquus serpens nobis molitur. Videns enim ille, quod iis, qui ad veram vitam spiritalem incumbunt, voluntas valida, & fortis insit, vires suas exerit, ut eorum intellectum prosternat; & tali pacto utriusque, intellectus nempe, & voluntatis dominus fiat.

Hinc altis, pulchris, & curiosis ditare sensibus hosce spirituales solet, eosque vel magis, qui sunt ingenio præstantes, & multum in capacitate

pacitate sublimes, faciliusque in superbiam efferuntur. Hac namque sola de causa hæc facit, ut prædicti homines inanibus oblationibus intenti, distractique in discursu illarum rerum, (inter quas Dœo se frui putant, etsi falso) cor suum a vitiorum sordibus tergere, & sui ipsorum cognitioni, veræque mortificationi inhærere obliviscantur. Sic enim capti superbiae laqueo proprium intellectum tanquam idolum venerantur, ac colunt.

Ex quo deinde provenit, quod paulatim, & absque vel minima animadversione sibi persuadeant isti miseri, aliorum consilio, & documentis non indigere, proprii judicii idolum in omnibus consulere jam assueti.

Res hæc est magni periculi, & ad medendum valde difficilis ; periculosior quippe est superbia intellectus, quam voluntatis ; nam superba voluntas obediet quandoque, & sic curabitur, (cum suam opinionem aliorum opinione meliorem non teneat) sed superbus intellectus, qui constans, & firmus in hoc est : quod opinio sua aliqua sit melior : a quo, & quomodo poterit unquam sanari ? Quo titulo se subdet alterius judicio ille, qui alterius judicium inferius existimat, atque indoctius suo.

Et vere, si animæ oculus, qui est intellectus, (a quo agnoscendum est malum, & medicamentum adhibendum in superbæ voluntatis ulceræ) infirmus, & cæcus est, eademque Iesus superbia, qua voluntas, quis ei medebitur ?

Tum si, quod in homine lux est, fiunt te-nebræ, & quod regula est, errori subjacet, quomodo cætera infelicitis hominis se habebunt?

Quapropter, fili, mature tam venenatæ superbiæ obſiste, priusquam hæc in ima descendat, & ossium medullas pervadat, vel præcordia, & cor ipsam inficiat.

Retunde itidem intellectus tui acumen: facile tuum alterius judicio submitte, stultus propter Christum; nam hoc modo sapientior eris sapientissimo Salomone.

### CAPUT IX.

*De causa, propter quam res bene a nobis non cognoscantur; Et de modo, quo recte cognosci possint.*

**D**ilecte Fili, causa, propter quam omnia supra posita, sicuti etiam non pauca alia, bene a nobis non agnoscantur, alia non est, nisi quia ad primum rerum aspectum, statim eis amorem, vel odium tribuimus; a quibus execratus intellectus, quid vere illæ sint, non videt, neque considerat.

Tu ergo, ne in hoc error subrepas, vigila accuratissime, ut puram, & liberam voluntatem tuam ab inordinato cuiusvis rei affectu conserves.

Cum vero ante oculos tuos aliquod objectum ponitur, intellectu prius bene ipsum considera, & prudenti judicio discerne, antequam ab odio, si objectum sit de re aliqua nostris natura-

turalibus inclinationibus contraria , vel si sit de re delectabili , antequam ab amore movearis , ut illud approbes , vel rejicias .

Tunc etenim , (cum intellectus a passionibus non offuscetur) liber , & purus est , & verum agnoscere optime potest ; siveque etiam malum cernere , quod sub fallaci voluptate absconditur , bonumque detegere , quod sub mali velamine occultatur .

Quod si voluntas tua amori , vel odio aliquius rei prius se dedidit , intellectus non potest bene eam rem percipere ; nam affectus ille interjectus rem taliter obstruit , ut ipsam intellectus dijudicet aliter , ac vere in se est . Ex quo fit etiam , ut (intellectu eam taliter proponente voluntati) haec ardenter excitetur , quamantea ad eandem rem vel diligendam , vel odio habendam contra quamcunque rationis legem , & ordinem .

Quo affectu magis deinde obnubilatur intellectus , atque ita obscenatus denuo rem amore , vel odio digniorem voluntati ostendere conatur .

Quare , nisi regula superius tradita utamur (quæ in toto hoc Exercitio magni facienda est) haec duæ potentiae tam nobiles , & eminentes , intellectus videlicet , & voluntas , miserrime semper pererrabunt , velut in circuitu tenebrarum , quarum aliæ aliis obscuriores erunt ) & in labyrintho errorum , quorum quilibet posterior semper pejor erit priore .

Cave igitur , fili , omni studio , ab inordinato rerum omnium affectu , priusquam a te , recta lance , expendantur , & cognoscantur , si-

çut vere sunt in se ipsis, & quidem per lumen intellectus, & præfertim per illud, quod a divina gratia, & ab oratione, seu a Patre tuo spirituali derivatur ad te.

Consulo autem tibi, ut prædicta fæpius, (quam in cæteris aliis) in quibusdam exterioribus operationibus observes, quæ bonæ, sanctæque sunt ; in istis enim (cum vere sint bonæ) majus longe hallucinationis, erroris, & usus immoderati periculum invenitur, quam in reliquis. Quare ob aliquam temporis, loci, aut mensuræ circumstantiam, vel quandoque etiam propter obedientiam, non parum monumenti tibi possunt afferre : Sicuti optime scimus de multis, qui inter laudabilia, & sancta exercitia periclitati sunt, & perierunt.

## CAPUT X.

*De voluntatis Exercitio ; Et de scopo, in quem omnes nostræ intentiones, Et exteriores operationes collimare debent.*

**P**räster intellectus Exercitium, in quo tibi necesse est perseverare, oportet etiam, fili mi, sic voluntatem tuam moderari; ut (propriis omnibus relittis cupiditatibus) supremi Numinis voluntati, & beneplacito conformis omnino sis.

Attamen bene scito, solum hoc non sufficere tibi : velle scilicet, & quærefe, quæ Deo magis sunt grata insuper enim debes velle, & operari hæc omnia tanquam ab ipso Deo motus, &

& ductus, & mere, ac pute, ut eidem placeas.

In isto autem magis, quam in supradicto intellectus certamine, pugnandum est cum natura nostra, quæ sibi adeo inclinat, ut in omnibus, sed in rebus bonis, & spiritualibus magis, quam in cæteris aliis, quærat proprium gustum, & commodum, quibus delectatur, atque avidissime pascitur: quasi cibus suspectus illæ esse non possunt.

Ex quo provenit, quod, statim ac prædictæ res bonæ, & spirituales approximantur nobis, nulla mora interposita eas desideremus; non quia ad ipsas per divinam voluntatem trahamur, aut quia intentionem habeamus, Deo tantum placendi, sed ratione illius boni, illiusque oblationamenti, quod in nobis sentimus, eo quod res illas velimus, & cupiamus, quas Deus vult.

Qui error eo occultior est, quod res optata melior est in se ipso. Idcirco etiam in defiderando Deum deceptiones, & errores inventiri solent, quæ omnia noster amor proprius orditur: cum majori etenim studio attendimus ad utilitatem, & bonum expectatum a nobis, quam ad voluntatem Dei, qui bonum illud nobis donat ob solam gloriam suam, propter quam etiam solam vult, ut nos amorem, cupiditates, affectusque omnes, & servitutem nostram ipsi soli offeramus.

Ut autem hunc effugias laqueum, qui veram perfectionis viam tibi impediret; atque etiam, ut assuescas omnia velle, & operari so-

lum ut motus a Deo , & cum para intentione  
soli Deo honorem tribuendi , eidemque placen-  
di , (ipse namque cuiusvis nostri boni operis  
Principium , & Finis vult esse) sequenti modo  
te geres.

Cum tibi aliquid sese offert , quod Deus  
eupiat , ne voluntatem alicias , ut illud velit ,  
nisi prius ad Deum mentem attollas , & agno-  
scas vere voluntatem ejusdem esse , ut illud ve-  
lis , non tantum , quia sic Deus vult , sed quia  
sic eidein soli placet.

Itaque postquam a divina voluntate mota ,  
& attracta voluntas tua fuerit , ipsam inclina ,  
ut idipsum velit : sed solum , eo quia Deus il-  
lad vult ; & tantum propter ejus beneplacitum ,  
atque honorem .

Similiter volens tu ea rejicere , quæ Deus  
non vult , ne ipsa prius rejicias , quam tui in-  
tellectus dirigas aciem in voluntatem divinam  
quæ vult , eadem omnia a te tantum rejici , ut  
ei placeas .

Sciendum tamen tibi insuper est , fili , quod  
difficulter , imo ferme nihil agnoscuntur fraudes ,  
& fallaciæ subtilis naturæ nostræ , quæ seipsum  
occulte quærens omni tempore , facit , ut nos  
nobis ipsis multoties videamur habere idem mo-  
tivum , & objectum placandi Deo : & sane ita  
non est .

Quare ab hac causa provenit , quod nobis  
etiam videamur , nos velle , aut nolle , ut Deo  
placeamus , vel ut illi von dispiceamus , id ,  
quod

quod revera volumus, vel nolumus ob nostrum proprium bonum, atque utilitatem.

Ut ergo has fallacias devites, aptum, imo propriissimum remedium est, cordis puritas, quæ in hoc (ad quod etiam totum istud Spirituale Certamen dirigitur) consistit, ut homo veterem hominem exuat, & novum induat secundum Deum.

Quia tamen tu superbus nimis es in te ipso, ne opportunum tibi quoque desit remedium, attende diligenter in principio cuiuscunque actionis tuæ, ut pellas a te (quoad fieri potest) permixtionem omnem, in qua arbitreris aliquid inveniri de tuo; item ne velis, opereris, aut rejicias unquam rem ullam, nisi ad hoc facendum te trahi præcognoscas a solo, & purissimo amore Dei.

Quod si in omnibus operationibus tuis, & præsertim in interioribus animæ, vel etiam in exterioribus, quæ cito fiunt, & transfeunt, non semper posses actualiter, & formaliter præsentare motivum istud; fas saltem, ut illud habeas virtualiter in quacunque prædictarum operationum; ita ut veram semper in te conserves intentionem placendi in omnibus soli Deo.

In actionibus tamen, quæ multum tempus durant, non solum bonum est, ut ab initio supradictum motivum excites in te, sed diligenter etiam navare operam debes, ut saepe id ipsum redintegres, atque in promptu habeas usque ad extremum vitæ tuæ; alioquin timendum esset, ne in aliud incideres laqueum naturulis pariter

pariter amoris tui, qui, cum prionior, & proclivior sit ad seipsum, quam ad Deum, sæpe progressu temporis solet efficere, ut incaute nos obiecta, & fines nostros bonos mutemus.

Dei servus, qui providus in hoc non est, operationem aliquam multoties inchoat cum intentione Deo tantum placandi, sed sensim posse, & absque eo, quod ad hunc errorem advertat, adeo delectatur eadem re per sensum proprium, ut divinæ voluntatis oblitus, se ita tradat in manus consolationis, & gustus, quem inde habet, nec non utilitatis, vel honoris, quem sibi subsequi posse ad rem illam prænoscit; ut, si Deus ipse opus impedit per ægritudinem aliquam, vel per aliū eventum, seu medio aliquius creaturæ, totus perturbatus, & inquietus appareat; quinimo sæpe saepius prorumpat in obloquiones, modo contra hunc, modo contra illum, & nonnunquam etiam contra ipsum Deum: signum evidentissimum, intentionem suam non esse pure, & totaliter a Deo, & propter Deum, sed potius a radice venenata, infectoque stipite progenerari.

Ratio istus est: quia quicunque vere impulsu Dei agitur, atque ut illi soli placeat, non vult unum potius, quam aliud, sed hoc, vel illud habere solum cupit: quia ea est voluntas Dei, & tale ipsiusmet beneplacitum: cæterum quocunque modo, & quovis tempore illud succedat, semper gratum adest; quinimo æqualiter pacificus, & contentus videtur, & est, si ve idem obtineat, sive sibi denegetur. Quicunque

cunque enim modo illud contingat, semper talis homo intentionem, & finem suum fortitur, qui nihil aliud erat, quam pura voluntas Dei, ejusque beneplacitum.

Quare bene animum tuum recollige, fili, & solerter incumbe, ut opera tua semper dirigas in finem istum perfectissimum.

Quod si quandoque (eo quod sic exigua tua virtus, vel etiam utilitas animæ tuæ requirat) ad bene operandum movearis, vel ut inferni pœnas effugias, vel ob Cœlorum fiduciam, in his quoque tibi pro scopo proponere potes placitum Domini, ejusque voluntatem; Dei quippe voluntas est, non ut ad infernum descendas, sed ut Regnum suum, Patriamque cœlestem ingrediaris.

Hoc modo vivum in te conservabis istud motivum.

Quod quanti sit momenti, & utilitatis satis dici non potest, vixque datur inter mortales, qui hoc agnoscere valeat: Certissimum enim est, quod quælibet operatio, alioquin parva, & nullius momenti, si fiat cum hoc fine, pure placendi Deo, & ob solam ejusdem gloriam, semper majoris in infinitum (ut ita dicam) erit pretii, quam unquam esse possint multæ aliæ operationes magni valoris, atque æstimationis, quæ isto careant motivo, & fine.

Hinc unicus obolus Deo gratior est, si pauperi præbeatur ob istum solummodo finem, placendi Deo, quam, si cum alia intentione, etiam fruendi

fruendi cœlestibus , aliquis omnibus suis divitiis , & facultatibus privaretur.

Hoc Exercitium , nempe operandi omnia , ut soli Deo placeamus , tibi arduum videbitur in exordio , fili mi , sed planum fiet , & facile per consuetudinem , ob desideria multiplicata de ipso Deo : seu etiam propter ardenter cupiditatem conjunctam cum vivis tui cordis affectibus erga ipsum , tanquam perfectissimum , & unicum nostrum bonum , quod per se mereatur ab omnibus creaturis inquiri , extolli , & super omnia amari .

Quæ consideratio de infinito Dei merito , quo profundior erit , & crebrior , eo ferventiores , & frequentiores quoque erunt prædicti aëtus voluntatis , atque ita facilius , citiusque consequemur habitum operandi semper propter motivum , atque amorem illius Domini , qui solus dignus est tanto honore .

Postremo te moneo , fili , quod (ut prædictum divinum motivum obtineas) oportet assidua apud Deum oratione illud postulare ; & meditari etiam sæpe innumera beneficia , quæ divina bonitas nobis quotidie e Cœlo depluit , ob purum amorem suum erga nos , absque ulla , vel minima , sui ipsius utilitate .



## CAPUT XI.

*De quibusdam considerationibus, quæ voluntatem nostram possunt inducere ad operandum omnia propter hunc solum finem, placendi Deo.*

**D**ilekte fili, ut facilius adigas voluntatem tuam ad quærendum in omnibus beneplacitum Dei, ejusque gloriam, & honorem, recordare semper amoris, & gratiarum, quibus ipse Deus, miris, & variis adeo modis, te affecit.

In creatione namque : ex nihilo creavit te in imaginem & similitudinem suam, reliquas vero omnes creaturas in servitium tuum.

In Redemptione : non Angelum, sed Filium suum unigenitum misit, ut te redimeret ; neque corruptibili auri, aut argenti sed pretiosissimo suo sanguine, atque crudelissima, & turpissima morte sua.

Quod singulis deinde horis, quinimo & momentis, te ab hostibus protegat ; quod ipsem et gratia sua pugnet pro te : quodque paratum semper ad tuam defensionem & cibum, dilectum Filium suum in Altaris Sacramento conservet, alta adeo, & magna sunt indicia amoris, quo amaris ab eo, ut nullus adsit, qui bene percipiat, & capiat, quanti exiguitatem, vilitatem, & miseriam tuam faciat tam potens, & magnus Dominus : tum ex adverso etiam non inveniatur, qui bene cognoscat id, ad quod tenetur pro tanta divinæ misericordiæ charitate,

& benevolentia, quæ tot, & talia pro nobis est operata.

Enimvero, si terreni Domini, cum honor ipsis tribuitur, quamvis pauper, & humilis conditionis sit, qui talem honorem eis tribuit, nihilominus facientur, se non posse non reddere eidem vices: quid a nobis (qui tam viles, imo nihil sumus) agendum erit cum supremo omnium Monarcha, a quo præstantibus adeo, & miris modis dilectos nos fuisse, & semper adhuc diligi non ignoramus?

Præter hucusque dicta, super omnia memoria semper retine, fili, divinam majestatem propter se solam mereri, ut infinitum ei decus, & obsequium præstetur a nobis, & quidem pure, ut ipsimet placeamus.

## CAPUT XII.

*De duabus voluntatibus, quæ sunt in homine,  
& de pugna earum inter se.*

Quamvis aliquo modo dici possit, duas in nobis voluntates reperiri: aliam rationis, ideoque rationalem, & superiorem dictam; aliam, sensus, & hac de causa sensualem, & inferiorem appellatam, quæ explicari etiam solet per hæc nomina: appetitus concupiscentiæ, carnis, sensus, & passionis; nihilominus, quia propter rationem nos sumus homines, cum aliquid tantum sensu volumus, nunquam intelligitur, nos vere illud velle, nisi per voluntatem rationalem flectamus in ipsum.

Quare

Quare totum nostrum Spirituale Certamen in hoc principaliter versatur : cum rationalis nostra voluntas maneat, velut inter divinam, quæ superassidet, & inter sensualem, quæ infra residet, a quacunque ex ipsis perpetuo invaditur, & oppugnatur ; utraque enim, divina scilicet, & sensualis ad se trahere eam vellet, sibiique subjicere obedientem.

Hinc est, quod magnas difficultates, labores, & tormenta experientur sub initium illi, qui pleni sunt habitibus malis, ubi vitam suam in melius immutare decernunt, statuuntque fugientes Mundum, & carnem, Jesu Christi servituti, amori, & obsequio se restituere.

Aggressiones enim, quas rationalis istorum voluntas sustinet a voluntate divina, & a sensuali, quæ ambæ eam circum obsident, & cum ipsa pugnant, magnæ multæque sunt, nec absque gravi afflictione tolerari possunt.

Quod tamen illis non accedit, quibus virtutum, vel vitiorum habitus ita jam dominatur, ut ipsi una cum illo vivere velint ; virtute etenim prædicti, facile voluntati divinæ consentiunt, & depravati vitiis facilius, & absque certamine vel minimo, voluntati sensuali se dedunt.

Quapropter nullus unquam præsumat, se veram, Christianamque virtutem, assequi posse, & Domino (ut par est) inservire, nisi animi vim velit pati, penamque perferre, quæ sentitur in dereliquendis non solum voluptatibus majoribus, sed etiam minoribus, quibus prius per terrenum affectum alligabatur.

Ex quo procedit, tam paucos pervenire ad veræ perfectionis metam. Postquam enim in extirpandis majoribus vitiis desudarunt, violenter postea agere contrâ se nolunt, neque semper sustinere ietust, & afflictiones, quæ inveniuntur quotidie in cupiditatibus, exiguis quidem, sed pene infinitis numero evellendis, & in quibusdam minoris considerationis affectibus eradicandis, qui in iisdem, singulis horis prævalentes, dominationem, & imperium supra ipsorummet corda progressu temporis consequuntur.

Inter istos autem quidam inveniuntur, qui, licet aliena bona non rapiant, nihilominus nimium afficiuntur illis, quæ justo titulo possident; licet illicitis mediis non querant honores, ab ipsis tamen, ut oporteret, non abhorrent, nec eos exoptare unquam desinunt; quinimo aliquando etiam per varias vias eos inquirunt, licet imposita sibi jejunia observent, gulam tamen non mortificant in superflua comedione, & in delicati cibi appetione; imo, licet continenter vivant, & caste, a quibusdam tamen sibi charis consuetudinibus non abstinent, quæ magni impedimenti sunt ad strictam unionem cum Domino, vitamque veram spiritualem. Præterquam quod, cum in quolibet homine, vel valde sancto, hujusmodi consuetudines reperiantur, majoresque in illo, qui minus timer, a quocunque hominum omnibus viribus, sunt fugienda.

Ex quo etiam provenit, opera nostra cæteroquin bona fieri ab ipsis hominibus cum spiritus tenuitate, non paucis cum utilitatibus, & terrennis commodis immixtis, cum occultis imperfectionibus, ac tandem ex quadam æstimatione, & cupiditate inanis, humanique honoris, & laudis.

Qui hujusmodi sunt, non solum non progrediuntur in via salutis, sed retrogredientes, sæpius in mala pejora labuntur, Nam virtutem veram non amant; sed potius parum se gratos ostendunt Domino, qui eos a dæmonis tyraonide eripuit. Quin insuper ignari, & cæci sunt, neque periculum vident, in quo morantur. Falso enim in tuto se statu permanere arbitrantur.

Qui error eo majoris est damni, quo minus perpenditur; multi enim, qui spiritualem vitam colunt, cum supra quod oportet, sui ipsorum sint amatores (quamvis vere se diligere ignorent) illa exercitia fere semper eligunt, quæsibi magis accepta sunt; reliqua vero prætermittunt, quæ naturalis ipsorum propensio, & sensualis recusat, contra quem omnes vires, & robur Spiritualis Certaminis dirigere necessarium omnino foret.

Propterea, fili mi, te moneo, atque horror; ut difficultates, & pœnas ames, quas secum habet victoria de nobis ipsis. In hoc enim omnia sunt: & eo certior, tibique proximior erit victoria, quo ardenteris difficultates, quas tyronibus in via perfectionis vir-

tus, & Spirituale Certamen ostendunt. Unde si certamen & difficultates magis amaveris, quam victorias, & virtutes, omnia citius infallibiliter obtinebis.

## CAPUT XIII,

*De modo pugnandi aduersus motus inferioris, seu sensualis voluntatis; nec non de actibus, quos nostra superior, & rationalis voluntas debet elicere, ut virtutum habitus comparet.*

**Q**uitescunque tua rationalis voluntas vim, & pugnam patitur a voluntate sensuali ex una parte, & a divina ex altera (dum quælibet ex illis ipsam vietam ad se trahere contendit) ut possit omnino in te prævalere divina voluntas, opus est, ut variis hisce modis exercearis:

Primo. Ubi sensualis voluntatis tuæ motus exurgunt, illis fortiter, & magnanimititer obſiste, ne illis rationalis voluntas assentiatur.

Secundo. Statim ac prædictos motus superaveris, & represseris, rurſus illos excita in te, ut majori postea impetu eos mortifices, & repellas. Neque contentus sis, quod hoc semel feceris sed iterum, atque iterum ad novum certamen eosdem motus voca; in quo, per multiplicatos aetus, ipfos rejicere a te cum indignatione, contemptu, & odio affuesces.

Adverte tamen, fili mi, quod pugoæ istæ, seu motuum fuscitationes cum quolibet appetitu, aut affectu nostro inordinato, præterquam cum carnis paſſionibus instituendæ sunt.

De

De istis namque peculiariter, ut infra, statuendum est.

Postremo. Omnem conatum tuum impende, ut semper efficias actus oppositos cuiusunque passioni malæ, quæ invenitur in te.

Apposito hic exemplo totum clarius elucescet:

Ab impatientiæ fortasse motibus oppugnaris? Si interius recollectus attenderis, senties, illos semper cum superiori, seu rationali tua voluntate pugnare, ut eam ad sibi consentendum inclinent.

Quapropter pro tuo primo Exercitio seu Certamine, singulis motibus per iteratos voluntatis superioris actus te objectabis; & validius, quo poteris, ejusdem superioris voluntatis assensum impedes.

Neque desistes unquam ab hoc certamine, donec omnino defatigatum & mortuum victoriæ cessisse agnoveris adversarium.

Cave tamen a diaboli calliditate. Cum enim ipse videt nos totis viribus obsistere motibus aliquius passionis, non tantum cessat illos in nobis fuscitare, sed jam fuscitatos quærit omni studio componere, per actuum exercitium, habitum faciamus in nobis virtutis adverfantis illi passioni, cum qua pugnamus. Tum etiam hoc facit malignus hostis, ut nobis vanæ gloriæ, & superbiæ laqueos inducat, suadendo scilicet nobis sua dexteritate, & fallaciis: quod a nobis (tanquam si vere magnanimi bellatores essemus) cito hostes vici fuerint, atque perempti.

Idcirco, fili mi, ex prædicto primo certamine ad secundum progredi debes, & cogitationes (quæ in te impatientiam gignebat) in memoriam tuam revocare, atque taliter excitare in temetipso, ut in parte inferiori, ac sensitiva motum te sentias. Tunc vero per frequentatos voluntatis actus, firmiori, quam prius, animo, & labore, motus illico reprime, & refelle.

Quamvis autem egregie hostes nostros rejetemus, atque in hoc bene operari, Deoque nos placere sciamus; quia nihilominus (eo quod eos omnino odio non habemus, ab iisdem in alio conflietu superari, & vinci periclitamur) ideo tertio in eos certamine debes irruere, illosque audacter a te repellere per superioris voluntatis actus, non solum validos, & strenuos, sed etiam indignabundos: sicque semper agere, quo usque odibiles, & abominabiles nobis omnino reddantur.

Demum, ut anima tua, fili mi, exornetur, & perficiatur habitibus virtutum, circa istas actus illos in te produces, qui directe passionibus tuis rebellibus contrarii sint; exempli gratia.

Cupiens tu patientiæ habitum perfecte acquirere; si quis, irridendo, impatientiæ tibi dederit causam, non sufficit, quod tribus modis superius traditis exercearis; sed amare, & charam habere insuper debes acceptam irrisiōnēm, adeo, ut desideres iterum, & quidem eodem modo, & eadem persona irrideri: expectesque, imo

imo paratum, & promptum te offeras ad mājora longe dedecora toleranda.

Ratio autem, cur tales contrarii actus necessarii sint, ut proficiamus in virtutibus, perfectique fiamus, est, quia cæteri actus, licet multi & fortes, non sufficiunt ad evellendas radices, quæ vitiorum in nobis sunt genitrices.

Quare (ne a solito nostro discedamus exemplo) etiamsi, cum irridemur, non assentiamus impatiētiæ motibus, sed potius contra illos tribus modis superius explicatis pugnemus, nihilominus, nisi assuescamus etiam permultos, & iteratos actus ad contemptum diligere, & de illo gaudere, nunquam impatiētiæ vitium eradicabimus, quod (utpote nos semper ad nostrum honorem inclinamus) in odio nostri contemptus, & dedecoris fundatur.

Præterea etiam, si vivens adhuc permaneat vitii radix in nobis, semper ita germinat, & pullulat, ut languidam reddat virtutem sibi oppositam, imo quandoque eam totaliter suffocet, & perimat. Præterquam quod in perpetuo nos tenet periculo deficiendi ad quamcumque occasionem, quæ superveniat.

Ex quibus evidenter datur: quod sine prædictis actibus nunquam verum virtutis habitum comparare possimus.

Præterea adverte, fili, supradictos actus adeo frequentes, & in tali numero debere esse, ut destruere omnino valeant vitii habitum, qui sicuti per multos actus malos cordis accepit imperium, ita per multos actus bonos ab eodem

corde extirpetur noceſſe eſt, ut poſtea virtutis habitus in iпſummet introduci poſſit.

Quin inſuper addo, quod major numerus requiritur actuum bonorum, ut virtutis habitum comparemus, quam actuum malorum, ut habitus vitii coaleſcat in nobis. Et Ratio eſt, quia virtutis actibus non auxiliatur, ſicuti facit actibus vitii, natura noſtra per peccatum corrupta.

Præter hucusque tradita, dico, fili mi, quod, ſi virtus (in qua tunc temporis te exerceſ) ita requirat, debes etiam ejusdem actus extrinſecos efficere conformes intrinſecis: nempe (ut eodem utamur exemplo) manſueta, & amantia verba loqui; imo & defervire, ſi potes illi, qui tibi aliquando noxiuſ, vel adverſariuſ fuit.

Quamvis vero prædicti actus præſtentur a te, ſeu præſtati tibi videantur cum tanta ſpiritus debilitate, ut eos contra voluntatem tuam te efficere putet; nihilominus eos nunquam prætermittere debes; quia etſi imbecilles, ac debiles ſint, attamen te magis obſiſmant, animum tuum conſantiorem in certamine reddunt, viamque tibi faciliorem aperiunt ad triumphum.

Diligenter autem attende, ſemperque in te recollectus eſto, ut non ſolum contra validos, & efficaces tuæ voluntatis inferioris actus pugnare poſſis, ſed etiam contra infirmiores, & languidiores cujuſcunque paſſionis; debiles enim, & inefficaces ad fortes, & efficaces viam pandunt; & exinde mali in nobis habitus generantur.

Ex eo enim, quod aliqui parum studeant eradicare e cordibus suis exiguos animi affectus, & cupiditates quasdam (postquam maiores aliquujus passionis subdiderunt) provenit, quod præter sui ipsorum intentionem submittantur, & consternentur ab hostibus fortiori, quam antea, impetu, & ruina irruptentibus contra eos,

Tandem te quoque moneo, fili, ut incumbas mortificationi, & pugnæ tuorum animi affectuum, & cupiditatum, quæ de rebus quidem licitis sunt, sed non necessariis. Ex hoc enim non pauca tibi bona provenient, & semper dispositus, ac magis promptus fies ad te in reliquis superandum; quin insuper fortis, & expertus evades in certamine temptationum, & variis diaboli vitabis laqueos, gravissimumque Domino obsequium præstabis.

Dilekte fili, aperto corde nunc loquer tecum, si (ut dixi tibi) in his sanctis exercitiis ob reformationem, & victoriam tui ipsis perseveraveris, promitto tibi, multum esse te profectum intra brevissimum tempus; imo vere, & non tantum nomine, futurum te spiritualem. Per diversos autem ab ipsis modos, & per alia exercitia, pro certo habe, nunquam te verum spiritum, virtutemque comparaturum, quamvis predicta omnia laudabilia, & sensui tuo delectabilia adeo essent, ut inter ipsa frui unionem Dei, dulciaque inter Jesu Christi colloquia commemorari videreris.

Verus etenim spiritus (ut in primo Capitulo ostendi tibi) non dependet, neque oritur ab exercitiis sensui gratis, naturæque nostræ conformibus, sed ab illis, quæ naturam nostram cum omnibus suis actibus crucifigunt. Nam ista, & non illa, hominem per evangelicarum virtutum habitus renovatum uniunt cum Creatore proprio Crucis affixo.

Extra dubitationem quippe est, quod, si euти habitus vitiorum sunt per plures, atque iteratos actus superioris nostræ voluntatis, dum appetitui, & inferiori voluntati indulget; ita ex adverso habitus evangelicarum virtutum comparentur per multos, & frequentatos actus conformes voluntati divinæ, a qua modo ad unam, modo ad aliam virtutem advocamur.

Enimvero, sicuti voluntas nostra nunquam mala esse potest, & a Deo aliena, (etiamsi validissime aggressa eam fuerit pars inferior, & vitium) nisi ipsamet cedat, & det manus; ita a pari nullo tempore erit bona, & unita cum Deo (quamvis efficaciter vocetur, & impellantur ab internis illuminationibus, & inspirationibus per gratiam Dei) nisi, cum occasiones sece offerunt, interni, & externi ejus actus cum voluntate Domini conformentur.



## CAPUT XIV.

*Quid agendum, cum superior nostra voluntas  
ab inferiori, & ab aliis hostibus victa,  
atque subjugata omnino videtur.*

**D**ilecte Fili, si tibi quandoque videatur, voluntatem tuam superiorem adversus inferiorem, aliosque hostes nihil posse, (eo quod efficacem contra illos in te non sentias voluntatem) ne idcirco metuas, sed viriliter persiste, & absque intermissione decerta. Semper namque superiorem in prælio debes te credere, quo usque manifeste agnoscas, te cessisse.

Sicut enim superior, & rationalis voluntas non indiget actibus voluntatis sensualis, ut actus suos producere valeat; ita nisi ipsamet velit, nunquam cogi potest ad se vitam subdendam, etiam si ab omnibus viribus, & potentia voluntatis sensualis impugnetur.

Deus quippe rationalem voluntatem tali dedit libertate, & robore, ut (licet omnes sensus, & singuli dæmonum, quinimo universus terrarum Orbis una arma capessant, & in ipsam conspirent, atque validiori sibi possibili fortitudine in eam opprimendam irruant) se sola, hisce omnibus invitis, & contradictibus, possit liberrime velle, aut nolle, toties, quoties ipsamet vult, quovis tempore, & quocunque modo, ac fine sibi magis beneviso.

Quod si supradicti hostes, ex improviso, tanto te non nunquam impetu invaderent, & aggre-

aggrederentur, voluntas tua pene suffocata, non haberet ultra spiritum, quo vel unicum contrariorum affectuum actum produceret, ne tamen timeas, neque arma deponas, sed potius tunc temporis utaris lingua, & te ipsum tuere sic dicens :

*Non : Non Credo tibi : fidem non habeo : te nolo , neque tibi consentiam in æternum. Tum in hoc te omnino gere ad instar illius , qui cum irrum pentem in se hostem suum videt (præclusa via feriendi ensis acumine) manubrio solet ipsum percutere.*

Sicut ergo iste ad passum usque aliquando retrocedit, ut mucrone feriat inimicum suum, ita & tu resilias ad tui ipsius cognitionem, considerans nempe, te nihil esse, & nihil posse ; Tum spe firmus, fixusque in Deo, qui cuncta potest, adversantem passionem persecute verbis istis : *Auxiliare mihi Domine , Deus meus ; auxiliare mihi Iesu : auxiliare Maria , ne cadam.*

Cum vero tibi ab hoste tuo permittitur, suppetias quoque ferre poteris defatigatæ voluntati, accurendo scilicet ad intellectum, & diversa puncta meditando, quorum ponderatione voluntas animum, & vires denuo sumit contra adversarios ; exempli gratia.

In aliqua persecutione, seu afflictione ita ab impatientia vexaris, ut voluntas tua neque possit (ut ita dicam) eam amplius tolerare; statim intellectu consolare voluntatem circa hæc, vel similia dilcurrens.

**Primo.** Considera, num merearis malum illud, quod pateris, eo quod scilicet ei occasionem præstiteris, si enim illud mereris, dignum & justum est, ut illud patienter perferas ; nam ipsum tuis propriis manibus effecisti.

**Secundo.** Si circa malum illud es innocens, & nullam ei causam dedisti, illico mentem tuam ad alia peccata converte, quorum pœnam adhuc Domino non persolvisti, & quæ etiam (sicut oportebat) non punivisti.

Agnoscens autem, quod Dei misericordia futuram, & magnam delictorum tuorum pœnam (quæ vel esset æterna in inferno, vel saltem temporalis in purgatorio) commutet cum parva præsenti, illam debes, non solum libenter, verum etiam cum gratiarum actionibus acceptare.

**Tertio.** Si fortasse tibi videreris multam egisse pœnitentiam, & parum a te offendam fuisse Majestatem divinam (quod nunquam admittendum est in mente tua) cogita, quod in Cœlorum Regnum nullus ingrediatur, nisi per angustam januam suæ abnegationis, & patientiæ in tribulationibus.

**Quarto.** Etiamsi per aliam viam intrare posses in cœlestem patriam, tamen propter legem, & debitum amoris, neque cupere istud deberes, maxime, quia Dei Filius, & omnes amici ejus per Crucem, atque spinas in eam ingressi sunt.

**Quinto.** Illud, in quod semper, & super omnia oculos, animumque tuum debes intendere,

dere, est voluntas Dei, qui propter amorem, quo te diligit, delectabitur quolibet virtutis, & mortificationis actu, quem (ut ei amore correspondreas) tanquam fidus, & magnanimus Heros efficies.

Certum autem hoc habeas, fili, quod, quanto irrationabiliores, & indigniores erunt angustiae, ratione causae, a qua procedunt, ideoque eo graviores, atque intolerabiliores ad ferendum; tanto eris Domino charior, admittendo nempe, & amando (etiam in rebus, quæ inordinatae videntur, & sensui tuo amariores) divinam voluntatem, & dispensationem, a quibus eventus omnis (etiamsi absque ordine nobis appareat) cum recta mensura, atque regula præponderatur.

## CAPUT XV.

*De quibusdam monitis circa modum certandi;  
Et præsertim adversus quos hostes, Et qua  
virtute certandum est.*

Jam vidisti, fili, modum, quo certamen in eundum est, ut te vincas, virtutibusque exornes.

Scito nunc insuper, (ut ab hostibus tuis celeriter, & facile victoriam obtineas) necessarium esse, ut singulis diebus adversus tuum proprium amorem pugnes: tum, ut assuefas contemptus, velut amicos tuos, diligere, charasque afflictiones omnes habere, quas tibi posset quandoque mundus immittere.

Ob

Ob nullam enim aliam causam victoriæ difficiles, & instabiles apud nos factæ sunt, nisi quia (ut supra tetigimus) Certamen hoc Spirituale minima fuit apud nos in aestimatione.

Verum, ne istud quoque ignoreas: nempe, quod certamen hoc, cum animi fortitudine, suscipiendum, & conficiendum sit. Quam fortitudinem facilime per duos hosce modos acquires.

Primo. Si talem fortitudinem exposcas a Deo.

Secundo. Si diaboli rabiem considerans, odiunque ejus implacabile, nec non infernaliū exercituum numerum; ex adverso etiam respicias ad infinitam bonitatem, amoremque, quo amaris a Domino, videasque longe validiorem, & fortiorem esse illis Deum, majorique in numero Angelos, Sanctosque pro nobis stare, acriter orationibus dimicantes.

Ex hac quippe consideratione provenit, tot infirmas, debilesque mulieres viciisse, & subjugasse omnem mundi potentiam, sapientiamque, omnes carnis aggressiones, omnemque barbariem infernalem.

Idcirco terreri nunquam debes, et si quandoque tibi videatur, quod hostium certamen magis crescat indies; quod totum tuæ vitæ tempus duraturum sit: quodque lapsus fere inevitables tibi hoc idem multis ex partibus comminetur. Sciendum namque tibi est, robur, & sapientiam omnem inimicorum nostrorum

rum esse in manibus Domini, & Ducis nostri, ob cuius honorem pugnamus. Ipse autem, (cum magni, & supra quod dici possit, honorem suum aestimet, atque ideo ad certamen nos vocet) non solum inferri nobis damnum aliquod non permittet, sed pro nobis ipsem̄ certans, victos, debellatosque adversarios tuos tibi submitteret.

Hoc tantum tua interest: pugnare strenue, & arma nunquam deponere, vel fugam cogitare, quamvis multa tibi vulnera infligerentur.

Ut acerrime vero decertes, hoc scias oporet: quod impossibile sit ab hoc certamine fugere; imo quod captus, & peremptus succumbere debeat, qui in eo dimicare recusat.

Denique scito etiam, tibi agendum esse cum hostibus talis naturæ, ac adeo tumidis, & inflatis odio, ut sperare pacem, vel inducias ab ipsis, ridiculum omnino fit.

## CAPUT XVI.

*Quomodo primo mane debeat Christi miles  
egredi ad certamen.*

**S**tatim ac ex parte fueris, fili, primum, in quod interiores animæ tuæ oculi dirigentur, hoc sit: In campo ab inimicis vallato undique cerne te, & quidem cum hac lege: quod perpetuæ ille morti subjacere debeat, qui in eo loco non pugnat.

Intra campum ubi positus postea fueris, tibi videaris intueri contra te hostem, seu malam

Iam illam inclinationem ( quam expugnandam statuisti ) armatam , ut te erudelissime feriat , atque occidat : a dexteris autem victorem Duceum tuum Christum Jesum , simul cum Matre sua sanctissima Maria Virgine , cum charissimo suo sposo Josepho , nec non etiam cum pluribus Angelorum , atque Sanctorum copiis , sed præsertim cum fortissimi milite Archangelo Michaeli : a finistris vero hostem tartareum cum sectatoribus suis expeditis , & promptis , ut prædictum tuum hostem suscitent , teque ad manus illi dandas sollicitent .

Hæc inter consiste , veluti , si audires vocem Angeli tui Custodis , qui diceret :

Dilecte fili , tibi hodie pugnare opus est cum hoc , cæterisque hostibus tuis . Ne timeat cor tuum , neque vilescat : ob pavorem , vel ob aliam causam , ne illis cedat ; nam Dominus noster , & Dux tuus , cum omnibus phalangibus supradictis hic tecum , & pro te adest , tuosque omnes contra hostes certabit , nullo modo permittens , ut illi prævaleant , atque triumphant adversus te .

Esto igitur firmus , & constans : violenter tecum age , pœnamque patienter sustine , quam in violentia contra te non semel experieris ; saepe de tui cordis intimis clama ad Dominum Deum tuum : Mariam Virginem , & Sanctos omnes vocans in auxilium tuum ; & absque dubio victoriam ab omnibus hostibus reportabis . An debilis es , & malis habitibus plenus , fortes vero , multique sunt inimici tui ?

Scito, quod multa etiam sunt auxilia Domini, qui te creavit, & redemit; imo ultra modum, & comparationem fortior est Deus tuus, & voluntatem magis efficacem habet de tua salute, quam ipsem hostis infernalis habeat de perditione tua. Pugna ergo, neque te affligi, & torqueri tædeat, quandoquidem ab animi tui virtute aduersus vitia, nec non a pœna, quæ ratione habituum malorum oppositorum nos cruciat, victoria, & thesaurus educitur, quo Cœlorum emitur regnum, & quo anima in æternitates perpetuas unitur Deo.

Itaque incipè, fili mi, in nomine Domini, armis dissidentiæ tui ipsius, & confidentiæ in Deum, oratione, & exercitio, ad certamen hostem illum, sive passionem, quam juxta ordinem superius traditum subjugare decrevisti compellens, modo per repugnantiam, modo per odium, & modo per oppositæ virtutis actus eam sæpe confodiens, & vulnerans usque ad totalem illius interitum, atque exitium. Omnia autem semper age, ut soli placeas Deo, qui simul cum universa Ecclesia triumphante tuo adstat certamini.

Dilecte fili, rursus dico tibi, certamen fastidire non debes, sed potius illa considerare, ad quæ omnes tenemur, scilicet ad inservendum, & placendum Deo. Præterea ad necessitatem quoque debes attendere, quam ad dimicandum habemus. Fugere enim, nec absque vulneribus, nec absque morte nos possimus. Imo addo insuper, quod si, ad instar

rebel-

rebellis animæ, a Domino velles fugere, teque ad mundum convertere, & ad carnis oblectamenta? aut velis, aut nolis, tibi pugnandum est, & quidem cum tot, ac tam crudelibus hostibus, ut sæpius habiturus sis madefactam frontem sudoribus, qui ad cor usque penetrantes, mortis spiritualis angustias illuc afferent.

Cogita hic ergo, fili, quodnam stultiæ genus esset, laborem, & pœnam assumere, quæ nunquam finem habeat, & quæ laborem, & pœnam pariat longe majorem (neque absque exitio) si fugimus, quam si brevi tempore decertemus; decertando namque (præterquam quod certamen cito concluditur) cum æternâ vita in infinitum beata unimur, & in sempiterna sæcula fruimur Deo nostro.

## CAPUT XVII.

*De ordine servando, in Certamine contra malas propensiones nostras.*

**M**ultum interest, fili, fecire ordinem servandum, ut rite in certamine congregari; & ne totum hoc agas, quasi casu, vel propter consuetudinem, sicut cum proprio damno faciunt plures: Ideo.

Scito, ordinem servandum in pugnando adversus hostes, & malas inclinationes tuas hunc esse: Primo, ut intra cor tuum te recipias: tum diligenter scruteris examine, a quoniam affectuum genere circumdetur, & a quoniam passione magis, & frequentius coaretur,

& torqueatur ; ac deinde contra illam arma,  
& certamen suscicias.

Quod si te ab aliis quoque non prævisis hostibus invadi contingat, semper tibi contra hostem illum certandum est, qui tunc actu, & proprius, quam cæteri, tecum pugnat ; ita tamen, ut semper ad præcipuum opus tuum revertaris statim.

## CAPUT XVIII.

*De modo subitis passionum motibus obsistendi.*

**D**ilekte fili, si nondum assuetus es declinare, atque intrepido corde sustinere injuriarum, vel alterius rei tibi contrariæ ictus, cùpisque in hoc acquirere consuetudinem : necesse est, ut assuescas prævidere, & velle, paratoque semper animo expectare prædictos ictus.

Modus tales ictus prævidendi est : si considerata passionum, & vitiorum tuorum natura, consideres etiam personas, & loca, in quibus, & cum quibus agis, & conversaris. Ex his etenim facillime conjicies, quid accidere tibi possit.

Quando vero aliquid aliud adversum, seu non expectatum occurret (præterquam quod auxilium receperis, eoquod animum præparatum habueris ad alia, quæ prævidebas) poteris insuper uti hoc novo medio inferius addito, quia ab eo non exiguum juvamen recipies.

Porro statim, ac alicujus injuriæ, vel alterius rei te afflgentis senseris ictus, vires exere,

re, & vim tibi infer, ut mentem ad Deum eleves, meditando ejus ineffabilem bonitatem, & erga te amorem, propter quem Deus tales animi perturbationem, & angustias tibi immisit: ut illas scilicet tu perferens pro ipsis amore, magis emenderis interius, magisque fias proximus, & uniaris cum ipso Deo.

Postquam vero cognoveris, Divinum esse beneplacitum, ut illam sustineas adversitatem, protinus cogitationem tuam ad te converte, in similem fere modum te objurgans, & tecum loquens:

*Quare, o anima mea! gestare Crucem recusas, quam non hic, vel ille homo, sed Pater tuus amantissimus offert tibi?*

Deinde ad tales Crucem te vertens, majori, qua potes, patientia, eam amplectere, & dic:

*O Crux a Divina providentia elaborata, priusquam viverem: o Crux a dulcissimo meo Domino Crucis affxo tota dulcis reddita, susciipe me, clavisque me fige in te, ut per te me suscipiat, qui per te moriens me redemit.*

Quod si ab initio fauciatus procumberes, (eo quod adeo passio prævaleret adversus te, ut pergere ad Deum non posses) quære nihilo minus prædicta omnia facere, tanquam si vulneratus non esses.

Efficacissimum tamen omnium remedium contra motus istos erit, e medio tollere occasionem, a qua proveniunt; exempli gratia,

Si cognoscis, quod propter affectum, quo rem aliquam diligis, turberis, & in subitam iram erumpere soleas, cum rem illam non obtines: remedium, quo cito huic vitio providere debes, hoc est, ut assuescas prædictum affectum penitus eradicare.

Si vero talis ira, non a re ipsa, sed ab aliqua persona procedat; a qua tu adeo abhorres, ut vel minimum quid ab ipsa proficiens te succendat: tunc optimum erit remedium, voluntati tuae vim facere, eamque inclinare ad eam personam amandam, charamque habendam: quia (præterquam quod etiam ipsa, sicut & tu, est creatura per supremam Domini dexteram efformata, divinoque sanguine reformata) occasionem tibi præstat, ut per talem tolerantiam similis fias amantissimo Deo tuo: qui piissimus, & benignissimus cum omnibus semper fuit, & est.

### CAPUT XIX.

*De modo certandi contra vitium carnis.*

**D**ilekte fili, adversus hoc vitium præcipuo, diversoque a supradictis modo tibi pugnandum est.

Quare, ut ordinate scias in bello procedere, tria debes tempora considerare: minirum:

Antequam tentemur,  
Cum tentamur, &  
Postquam tentatio præteriit.

Ante

Ante ipsam tentationem certamen erit contra causas, quæ hasce tentationes solent producere; fugere enim illas debes, vel si cum iisdem tibi nonnunquam necessario agendum est, omnia citissime, & absque mora, vel parvula perage, & quidem cum vultus modestia, severitate, atque rubore. Quin etiam tibi suadeo, ut verba, quæ profers in similibus occasionibus, asperitate potius condita sint, quam benevolentia, & superflua affabilitate.

Neque confidas, fili, quod tunc temporis nihil in te sentias, vel quod a multis annis impulsus, aut motus carnis vere non senseris; quia nefarium hoc vitium, quod pluribus annis non fecit, una conficit hora, tegitque saepe machinamenta, & occulte dirigit, eoque magis nocet, & ferit, quo amicitiam quietiorem simulat, & sui suspicionem a nostris cordibus tollit.

Propterea maximopere timendum est (sicut experientia non semel nobis ostendit) quando inter aliquos sub licitarum rerum praetextu consuetudo protrahitur: exempli gratia, sub praetextu consanguinitatis, urbanitatis, aut virtutis recognoscendæ, quæ in persona dilecta res fulgeat. Nimiæ quippe, & imprudenti consuetudini venenata sensus deleßatio immiscetur, quæ insensibiliter intra pectus irrotans, ac ad medullas animæ pertransiens, magis quotidie rationem obnubilat, & taliter, ut intra breve temporis spatium nihili aestimari ea incipiant, quæ valde obnoxia manent periculo: ut sunt

benevoli aspectus: grata, & dulcia ad invicem verba: conversationisque delectationes. quibus inter duos non intermissis, in præceps miserime eorum quilibet ruit, vel saltem in calamitosissimam incidit tentationem, atque ad superrandum pene impossibilem. Idcirco pro documentis hæc habeas:

Primo. Fuge statim, fili, fuge, ubi vel minimam umbram videris hujus vitii. Stupparumque sumus nos homines, ideoque facillimi ad flamas concipiendas. Neque confidas, quod aqua voluntatis bonæ madefactus sis: vel quod firmam voluntatem habeas, & potius ad moriendum promptam, quam ad offensionem vel minimam contra Dominum committendam. Per iteratam enim conversationem carnis ignis adeo calore suo aquam bonæ voluntatis exsiccat, & in iectu oculi in nobis ita succeditur, ut neque consanguinitati jam parcatur; Deum etenim non timebit, honorem nihili faciet, vitam non curabit, imo nec omnia inferorum supplicia ipsum retardabunt. Quapropter fuge, fuge, dico iterum, fili, tali velis calefieri, accendi, & comburi,

Secundo. Fuge similiter otium, vigil esto, & expergefactus in omnibus, sed præsertim in operibus, & cogitationibus, quæ statui tuo convenire videntur.

Tertio. Ne repugnes unquam, sed facile in rebus omnibus obedias Superioribus tuis, prompte, & alacri animo iis obtemperans, quæ tibi ab iisdem imponuntur, illisque in rebus liben-

libentius, quæ humilitatem gignunt, ac magis, quam cætera alia voluntati, & appetitui tuo rationali adversantur.

Quarto. Nunquam temere judices de proximo tuo, & maxime circa hoc vitium. Quod si manifeste quandoque lapsus ille esset, ei compati debes, & non contra ipsum indignari, aut idcirco eum contemnere. Quinimo ex illius lapsu excerptus pro te est fructus humilitatis, & cognitionis tui ipsius, atque cognoscendum, quod pulvis, & nihilum sis. Tum Oratione quæreres cum Deo uniri, ac magis, quam antea, consuetudines, & conservationes devitare, & fugere, quamvis in illis sola etiam umbra periculi timeretur.

Quod si pronus, & facilis fueris ad iudicandum de aliis, & ad eos contemnendos; scito, quod tuis sumptibus a Domino corrigeris permittit namque, te præcipitem ruere in eundem errorem, ut exinde superbiam tuam agnoscas, atque ita propter lapsum factus humiliis, de remedio pro utroque vitio cogites.

Si vero, postquam judicasti, non laberis, neque tuas immutas cogitationes, sed semper in superbia perseveras, scito, quod maximopere dubitandum est de tuo statu.

Quinto, & ultimo. Diligenter attende, fili mi, ne (eoquod donum aliquod in te videris, vel spiritualium deliciarum senseris delectationem) in vanam complacentiam extollaris, tibiique suadeas, te multa contra hoc vitium posse. Imo neque putas, carnis certamen adver-

sus te esse ab hostibus tuis intermittendum, eo quod eos tibi videaris despicere, exhorrire, & odio habere; sed scito potius, quod, si incautus in hoc fueris, facillime in extremam perniciem ibis. Et hæc fatis de tempore, antequam circa carnis vitium tentemur.

Tempore autem temptationis, cogita statim, fili mi, utrum talis tentatio ab intrinseca, vel vel ab extrinseca proveniat causa.

Causam extrinsecam esse duco: oculorum, atque aurium curiositatem: nimiam vestium perpolationem: conversationesque, & discursus ad hoc vitium incitantes.

Aptum contra hæc omnia remedium est, honestas, & modestia talis in actionibus tuis, ut nulla videre, vel audire velis ex iis, quæ ad turpe hoc vitium extimulant. Fuga quoque in hisce casibus optima est, ut superius dixi.

Intrinsicam vero hujus vitii causam esse puto, corporis hilaritatem, mentisque cogitationes, sive istæ a malis nostris habitibus, sive a dæmonis instigatione procedant.

Hilaritas corporis jejuniis, disciplinis, cibis, vigiliis, aliisque similibus mortificanda est, non ultra id tamen, quod virtus docet, & obedientia præscribit.

Pro cogitationibus (a quacunque parte existentur) remedia quædam propria hic etiam assignantur, nempe:

**Primo.** Occupationes in variis exercitiis quo statui convenientibus.

**Secun-**

**Secundo. Oratio, & meditatio:**

Oratio tamen fiat modo inferius explicato.

Cum prænoscis non solum prædictas cogitationes pravas, verum etiam motus, qui solent hujusmodi tentationes præcedere illico te mente ad Dominum Crucis suffixum recipiens, dicas: *Mi Iesu, Iesu mi dulcis, cito, quæso, auxilium præbe, ne incidam in manus adversarii mei.*

Tum subinde Crucem amplectens, ex qua pendeat Dominus, & saepe sanctissimorum pedum plagas exosculans, cum ardenti dicas affectu: *Plagæ pulchræ: Plagæ divinæ, miserum meum, & impurum cor heu vulnerate, liberum ab offensa vestra me dimittentes.*

Nolo tamen fili, ut tempore, quo tentationes carnalium delectationum abundant, meditatio tua circa quædam puncta versetur, quæque talium temptationum remedium in multis libris leguntur; exempli gratia circa hujus vitii turpitudinem, insatiabilitatem, dolores, & amaritudines, quæ consequuntur ad ipsum: imo neque circa pericula, & jacturam opum, vitæ, honoris, & hujusmodi.

Hoc enim non semper tutum remedium est ad tentationes hasce vincendas; imo damnum afferre multoties potest. Nam licet intellectus ex una parte cogitationes supradictas repellat, ex alia nihilominus intromittit in nos occasionem, & periculum delectationis, & consensus in illas. Unde optimum, & proprium

priissimum remedium est, omnino fugere, neque ab ipsis temptationibus tantum, sed etiam ab omni alia re (quamvis temptationibus opposita) quæ tales objiciat temptationes.

Itaque meditatio tua, fili, pro occasionibus prædictis sit circa vitam, atque passionem Crucis affixi Domini Jesu Christi.

Quod si in hac meditatione (tua contradicente voluntate) tibi in mentem venirent prævæ cogitationes, & præter solitum molestiam afferrent (sicut certo non semel accidet) ne ideo timeas, vel meditationem tuam omittas, vel ad temptationes illas te vertas, ut eis obſistas; sed meditationem tuam majori, qua potes attentione, prosequere, nihil prorsus curans tales cogitationes, tanquam tuæ non effent. Hoc enim medio aliud melius inveniri certe non potest, ut magis illis resistas, quamvis adversus te semper pugnarent.

Meditationem postea hac, vel simili petitio-ne conficies: *Libera me Creator, & Redemptor ab inimicis meis ad honorem passionis, & ineffabilis bonitatis tuæ.* Cave tamen accuratissime, fili, ne mens tua, vel raptim, ad hoc vitium deflecat; nam sola etiam ipsius recordatio absque periculo non est.

Adverte insuper, ne ad disputationem cum hujusmodi temptationibus congregariis, utrum scilicet iisdem consenseris, nec ne? Hoc enim, licet speciem habet boni, tamen vere larvata dæmonis fallacia est, ut nimis te tristem, territum, & pusillanimem reddat. Ideo namque

que te in hisce detinet disputationibus occupatum: quia sic faciendo sperat, quod te possit quandoque impellere in aliquam culpam.

De hac autem carnis tentatione, (cum consensus manifestus non est) contentus sis, omnia breviter tuo Patri spirituali confiteri, & postea ipsius judicio, & consilio omnino quiescere. Tuo tamen Patri spirituali, nedum prædicta omnia, sed tota mens, & cor tuum aperiendum est. Neque unquam ab hac totali mentis, cordisque manifestatione timor, vel pudor aliquis te retrahere debet.

Et ratio est, quia, si adversus quoscunque hostes nostros virtute humilitatis indigemus, ut eos subjugare possimus, magis contra hunc, quam contra alios, humiles simus, opus est; nam vitium istud ferme semper, ob superbiæ nostræ punitionem, in nobis regnat. Et hæc etiam satis de tempore quo tentantur.

Postquam vero tentatio præteriit, sollicitus in hoc esse debes: ut (licet liber jam, & tutus videaris) mente nihilominus semper fugias ab objectis illis, quæ temptationis occasionem afferre possunt, etiam si ob virtutis, vel alterius boni finem, ad aliter agendum te compelli arbitraris.

Hæc namque omnia nostræ naturæ vitiis undequaque scarentis fraudes sunt, & calidissimi nostri hostis laquei, atque insidiæ; in lucis enim Angelum se mutat, ut in tenebras nos detrudat.

## CAPUT XX.

*De modo certandi adversus negligentiam.*

**D**ilecte fili, ne in misérā negligentiae servitutem devénias, (quod perfectionis iter non solum impediret, verum etiam tē in tuorum inimicorum traderet manus) subsequentiā monita a te diligentissime servanda sunt.

Primō. Omnem curiositatē, & terrēnum affectum, nec non etiam qualēmcunque occupationem, quæ statui tuo non cōveniat, fugere debes.

Secundo. Conare omni studio, ut cito omni inspirationi bonę, & cuilibet tuorum superiorum māndato correspōndeas, & obtēperes, cuncta semper, operans eo tempore, modo, quo voluntatem, & placitum eorumdem esse cognoveris.

Quare in his, neque mōra brevissima admittenda est; prima namque mōra secundam vocat, & hæc tertiam, tum successive alias: quia istis fācilius, quam prioribus, sensus nōter inclinat, & assentitur, cum captus jam sit voluptate, quam in iisdem gustavit.

Et hinc est; quod, vel tarde nimis actio-nes nostras incipiāmus, vel eas, tanquam no-bis molestas, multoties affatim intermittamus.

Sicquē paulatim, negligentiae habitus componitur, qui nos eo usque postmodum dedu-ctit, ut eodem instanti, quo per negligentiam illaqueamur, magis nonnunquam nos esse velle solli-

follicitos propugnamus ; agnoscimus enim , ( nec sine magna verecundia , & rubore ) tunc maximopere nos negligentes fuisse .

Magna hæc negligentia per omnia discurrit , suoque veneno , non solum voluntatem inficit , faciens , ut hæc a bono opere abhorreat , verum & intellectum obcæcat , ne videat , quam mala sint , & male fundata proposita nostra : scilicet in posterum operandi cito , & diligenter illud , quod , ( utpote ad effectum tunc reducendum erat ) vel voluntarie omnino negligitur , vel saltem in aliud tempus differri solet .

Neque sufficit , si brevi temporis spatio opus conficias , quod debes facere ; sed necesse est , ut illud opportuno tempore facias , & cum a qualitate , & substantia operis ita requiritur . Tunc etenim omni cum solertia necessaria illud facere debes , ut majorem perfectionem possibilem habere possit .

Ex quo patet , quod diligentia dicenda non est , sed maxima negligentia , ante suum tempus opus peragere , statimque ab eo nos expedire , priusquam omnino perficiatur ; quoniam hoc tantummodo facimus : ut nos deinde , absque ulla animi perturbatione , acediæ , & otio vacare possimus ; illis enim propensa erat mens nostra , quando celeriter opus conficiebamus .

Totum , & magnum istud malum non oriatur , nisi ex eo , quod non consideremus valorem , & premium operis boni in tempore facti , & ex animo firmo ad labores , difficultatesque

subeundas, quas negligentiae vitium tyronibus in hac spirituali militia afferre solet.

Scire enim debes, fili mi, solam mentis elevationem in Deum, & genuflexionem factam usque ad terram in honorem ejusdem Dei, majoris valoris esse, quam omnes terræ thesauros; tum ( quotiescumque nobiscum violenter agimus, & cum nostris passionibus malis ) Angelos e Cœlorum Regno triumphalem victoriæ, aureolam deferre animæ nostræ.

Quinimo sciendum tibi quoque est, Deum paulatim subtrahere negligentibus gratias suas, quas ipsis donaverat; ubi econtra easdem diligentibus semper auget, quo illis ad Cœlorum gaudia ingressum præster.

Quod si tanto non polles anitno, ut labori, & difficultati magnanimitter occurras, saltem ita illam interius cœla, ut minor foris apparet, quam in se fit.

Exercitium tuum ( exempli gratia ) plures actus requirit; multorumque dierum labore, & studio indiges, ut virtutem adipiscaris: tum hostes multi, & fortes sunt, qui sese objiciunt; incipe actus elicere, tanquam, si quodam solum deberes producere, & dies paucos elaborare. Deinde pugna contra hostem tuum ac si cum reliquis tibi decertandum non esset, magna semper nixus confidentia, quod tu, per divinum auxilium, omnibus illis sis fortior. Si enim ita feceris, debilior fiet negligentia, & tali pacto disponetur quoque cor tuum, ut virtus prædictæ negligentiae contraria successive post-

postmodum possit in illud ingredi , ibique manere.

Idem dico de oratione. Si nonnunquam ab exercitio tuo unius horæ spatium exigatur in oratione insumendum , hocque negligentia tuae nimis videatur , ad orationem perge , tanquam si tantum per octavam horæ partem orare velles ; ex hac enim facile ad alteram partem transibis , & ex hac ad aliam.

Quod si in prædicta octava , vel in reliquis horæ partibus validam nimis repugnantiam , & difficultatem expertus fueris , exercitium pro illo tempore ( ne molestia subrepat ) intermitte , sed tamen paulo post illud rursus resume.

Hoc idem in operibus manualibus observa. Cum multa opera a te esse facienda contingit , licet ( eoquod magna , atque difficilia sint ) totus turberis , nihilominus viriliter , & tranquillo animo semper incipe ab uno opere , velut , si tibi opus aliud peragendum non esset. Ita quippe diligenter operans minore longe cum labore quævis conficies , quam tibi antea propter negligentiam videbatur.

Si vero supradicto modo non te gesseris , aut occurrenti difficultati , & labori non te objeceris : negligentia vitium adversus te ita insurget , ut ( non solum cum adfuerit prædictus labor , & difficultas , quam secum habet ab initio virtutum exercitium , verum etiam cum longe abfuerit ) anxius , male contentus , ac timens detinearis , velut , si exerceri , & in-

vadi ab hostibus singulis horis deberes , vel tanquam si ab hoste novo te quid aliud sustinere oporteret ; atque ita in ipsamet quiete semper viveres inquietus.

Et scito , fili , quod hoc negligentiae vitium , non tantum paulatim , mediante suo occulto veneno , primas , parvasque radices ( a quibus produci deberent virtutis habitus ) inficit , & marcas reddit ; sed illas quoque habituum acquisitorum ; sicut enim tinea lignum corredit , ita , & negligentia insensibiliter spirituallis vitae medullas consumit ; & euilibet , sed illis praesertim , qui vitae spirituali vacant , insidias , laqueosque hoc medio hostis infernalis orditur .

Vigila ergo orando , & bene operando ; neque expectes nuptialis vestis pannum intextare ; quando tempus est egrediendi cum vestibus , & ornamentiis jam perfectis obviam sponso .

Memento autem quotidie , quod ille , qui matutinum tibi tempus concedit , vespertinum non promittit , & quod vesperam donans ,crastinam lucem matutinam non spondet . Propterea omnia horarum momenta juxta Dei beneplacitum insume , & quasi aliud non permetteretur tibi tempus a Domino : eo vel magis , quod de unoquoque momento strictissimam rationem reddere necesse est .

Concludo , & te moneo , fili , ut amissam diem illam putas ( etiam si multa opera in ea confecisses ) in qua plures viatorias adversus malas

malas propensiones , & cupiditates tuas non obtinueris , & in qua gratias non egeris Domino pro beneficiis tibi collatis , & præcipue pro acerbissima passione sua , quam pro te ardentissimis amoris flammis accensus toleravit : nee non etiam pro paterna , & amantissima punitione , si te dignum quandoque fecerit inæstimabili aliquarum tribulationum thesauro.

## CAPUT XXI.

*De exteriorum sensuum regimine ; Et quomodo per illos transire possumus ad Divinitatis contemplationem.*

Magna solertia , & exercitatio assidue requiritur , fili , ad regendos , recteque gubernandos sensus nostros exteriores . Appetitus enim , qui veluti dux est corruptæ naturæ nostræ , in gustus , & consolationes præceps tenet ; & cum per se solum eas obtainere non possit , sensibus exterioribus utitur , tanquam militibus suis , atque instrumentis naturalibus , ut sensuum prædetur objecta , quorum imaginationes abstrahens , & ad se rapiens , in anima nostra postmodum imprimit . Ex quibus deinde voluptas consequitur , quæ (ob cognitionem intercedentem inter ipsam & carnem ) diffunditur per omnes sensuum partes , quæ hujusmodi delectionum capaces inveniuntur . Unde tum in corpus , tum in animam derivatur communis lues , utrumque ex istis consumptus .

Damnum vides fili, remedium attende.

Observa diligentissime, ne sensus tui libere vagari incipient, quo eis placet; nec illis unquam utaris, cum sola voluptas, absque utilitate, vel necessitate te movet. Quod si nimis incauti inconsiderate aliquando illi excurrerent, statim ac istud agnoscis, eos revoca, taliterque moderare; ut, ubi prius miserrime in gustuum carcerem ruebant, ibi nobilem cujuscunque objecti prædam obtineant, eamque intra animam deferant. Propter quam prædam deinde recollecta in se anima tua, suarum potentiarum plumas in cœlum explicit ad Domini Dei contemplationem.

Idcirco, cum tuis sensibus exterioribus objectum aliquod repræsentatur, mente tua illico spiritum ab eo separa, seu (ut clarius loquar) omne id, quod Dei est, ab ipso præscinde, cogitans, tale objectum, ex se, nihil habere illius boni, quod sensibus tuis præsens est, sed totum illud esse operam Dei, qui, per indivisibilem spiritum suum, essentiam illam, & quocunque aliud bonum (quod in eo reputatur) eidem communicat. Gaude nihilominus, ubi cogitaveris, quod solus Dominus tuus, causa, & origo sit tantarum, atque tam diversarum perfectionum, quæ in rebus creatis elucescunt, & quod illas omnes eminenter in se ipso contineat. Nihil aliud enim est bonum, quod tibi objicitur, quam exiguus divisorum, & infinitarum perfectionum gradus.

Quod

Quod si adverteris, te in perspiciendis creaturis præstantioribus detineri, illas protinus ad purum suum nihilum per cogitationem tuam redige, intellectum tuum ad ipsarum dirigent Creatorem ibi præsentem, qui eis esse illud donavit; atque in ipso tantum delectatus sic intra te colloquaris: *O Divina essentia summopere desiderabilis, quam multum fruor, te solum infinitum esse principium cuiuscunque rei creatœ!*

Similiter inspiciens arbores, herbas, & hujusmodi intellectu percipe, quod vitam, quam ducunt, non a se, sed a spiritu divino habent, quem tuis corporeis oculis non intueris. Ab hoc quippe solo spiritu vivificantur. Quare sic intra te dicere poteris: *Ecce vita vera, ex qua, in qua, & ob quam vivunt, & crescunt omnia, o viva, & vera mei cordis dulcedo!*

Pariformiter a brutorum aspetto mentem ad Deum attolles, qui eisdem motum, & sensum impertitur, & dices: *O Motor supreme, qui, universa licet moveas, immobilis permanentes in te ipso, quantum latet tua consistentia, & immutabilitate!*

Quod si a creaturarum puchritudine rapi te noveris, statim id, quod vides, separa a Domini Spiritu, quem non videss; & considera, quod omne illud, quod extrinsecus formosum resulget, a solo, eodemque invisibili spiritu est, a quo externa illa puchritudo originem ducit; tum undequaque hilaris dicas:

*Ecce rivuli fontis increati! Ecce guttula infiniti oceanii totius boni? O quam lætus interius ego sum, dum æternam, atque immensam Dei pulchritudinem mente revolvo; ipsa enim cuiusvis creature pulchritudinis causa, & origo est.*

Cernens autem in aliis bonitatem, sapientiam, justitiam, cæterasque virtutes, prædicta facta segregatione, sic alloquere Deum tuum: *O ditissime virtutis thesaure, quanta ego perfundor delectatione, eo quod a te, & per te unice totum bonum proveniat: & quod universa cum tuis comparata perfectionibus, nihil penitus sint! Tibi gratias ago Domine pro isto, & pro quovis alio bono, quod proximo meo fecisti. Memento Domine, quam pauper ego sum, & quam multum virtute N. indigeam.*

Manus deinde ad aliquid operandum extendens cogita, primam causam illius operationis esse Deum, te vero solum instrumentum vivum ejusdem Dei; quare ad ipsum mentem tuam elevans in hunc fere modum loquaris: *Quam magnum mihi intus gaudium inest, o summe rerum omnium Dominator, & Domine, quod nihil sine te efficere possim; imo quod tu solus primus, & præcipuus sis operator universorum.*

Cibum, vel potum sumens, meditare, quod Deus ille est, qui tali eum condit sapore; quare in Deo tantum delectatus, dicere poteris: *Lætare anima mea, quia sicut extra Deum tuum*

*tuum nullum invenitur gaudium, ita in ipso unico perfecte delectari potes, & saturari.*

Si de alicujus rei fragrantia tibi complacere videaris, in ea complacentia nihil persistens, statim mente pertransi ad Deum, a quo provenit odor ille: & ex hoc interiorem hilaritatem, & lætitiam colligens, proferas in corde tuo: *Heu fac Domine, ut, sicut ego gaudeo, quod a te fluat omnis suavitas, ita anima mea, omnibus terrenis voluptatibus abrenuntians, in altum conscendat, gratumque divinis tuis naribus odorem efflet.*

Cum sonorum, & cantuum harmoniam audis, intellectum subito ad Dominum tuum converte, & sic loquere: *O quam fruor, mihi Domine Deus meus, tuis infinitis perfectionibus, quæ omnes unitæ simul nedum in te cœlestem harmoniam efficiunt, sed & in Angelis, Cœlis, & creaturis omnibus concentum perficiunt admirabilem!*

## CAPUT XXII.

*Quomodo res ipsæ medium nobis esse possunt ad sensus nostros moderandas; transitum nempe faciendo ad incarnati Verbi, ejusque vitæ, & passionis considerationem.*

**D**ilecte fili, tibi superius ostendi, quomodo possimus a rebus sensibilibus mentem nostram attollere ad Divinitatis contemplationem, nunc vellem modum addisceres, quomodo ab iisdem rebus motivum ascendendi

ad Verbi incarnati, ejusque vitæ, & passionis sacratissimæ meditationem defumere valeas.

Quæcunque in terris sunt, deservire ad hoc optime possunt, si mentis oculo respexeris in eis summum Deum, ut supremam, atque unicam primam causam, quæ illis omne istud esse, pulchritudinem, & excellentiam indidit, quam in se habent; tum exinde immigrabis ad considerandum, quam magna, & immensa sit bonitas ejus, qui (licet unicum sit principium, & Dominus omnis creaturæ) voluit nihilominus ad talem, tantamque humilitatem descendere, ut fieret homo, pateretur, mortemque oppeteret, propter hominem, permitteretque, creaturas ipsas a manu sua formatas armari contra se, ut ipsammet Cruci affigerent.

Per multas autem res, & quidem singulari modo, nostræ mentis oculis subjiciuntur prædicta Jesu Christi mysteria, atque dolores, (exempli gratia) per arma, funes, flagella, columnas, spinas, arundines, clavos, malleos, cæteraque omnia, quæ Jesu Christi passionis instrumenta fuerunt.

Vilia, & misera domicilia ad memoriā nostrā adducent stabulum, & præsepe Domini: pluvia e Cœlo decidens sanguineam, atque divinam pluviam, quæ in horto e sanctissimo ejusdem corpore profuens, irrigavit terram: petræ illas, quæ scissæ sunt in illius morte: terra motum, quem tunc ipsamet peperit: Sol nebras illas, a quibus universus Orbis est obscurata.

scuratus: & aqua tandem aquam, quæ e divino ejus Domini latere exivit. Quod de cæteris similibus etiam intellige.

Vinum autem, vel alium liquorem ore libans, recordare fili mi, aceti, & fælis amarissimi Domino traditi ad bibendum.

Ab odorum suavitate illectus, cogitatione subito advola ad corporum mortuorum fætorem, quem ipse Dominus, & Redemptor noster in monte Calvariae perferebat.

Te vestiens memento, quod Verbum æternum humanam carnem assumpserit, ut sua te indueret divinitatem.

Te exuens ad memoriā tuā revoca, Christum Jesum spoliatum fuisse, ut flagellis cæderetur, & in Cruce pro te configeretur.

Gentium clamores, & strepitus audiens, recole abominabiles, & barbaras illas voces: *Crucifige, crucifige: Tolle, tolle,* quæ ad aures divinas personuerunt.

Quoties horologium pulsatur, penetrat inētra cor tuum dolorifica illa percussio, quam Dominus tuus passus est, cum in horto propinquam passionem, & mortem pavere cœpit: seu etiam tibi videaris audire duas percussionses, quibus Christus Crucis crudeliter affixus est.

Demum in quacunque occasione, quæ tibi sepe offerat mœrendi, & dolendi, vel ratione tui, vel aliorum hominum causa, cogita, omnipia veluti nihilum esse, comparatione incom-

parabiliū afflictionū , quæ affixerunt , - & dilaceraverunt animam Jesu Christi.

## CAPUT XXIII.

*De novo modo sensus nostros moderandi juxta varias occasiones , quæ nobis occurrunt.*

**C**um jam videris , fili mi , quomodo intel-  
le<sup>c</sup>tus noster attolli debeat a sensibilibus ,  
terrenisque rebus ad Divinitatem , & ad incar-  
nati Verbi mysteria : alios hic addam modos ,  
a quibus varias meditationes possis excerpere ,  
ut animarum nostrarum gustus , qui inter se  
differunt , multos , & diversos habeant cibos ,  
quibus pascantur . Præterquam quod prodesse  
hoc poterit , non solum hominibus simplicibus  
& indoctis , sed illis etiam , qui elevato præ-  
stant ingenio , & multum proficiunt in via spi-  
ritus : qui non semper omnes æqualiter pro  
altioribus contemplationibus idoneos reddit .

Neque timendum , vel dubitandum est ,  
quod confusione in hac rerum varietate pas-  
furis sis , si moderatus bene fueris animum  
tuum , & cum humilitate , atque fiducia alterius  
consilium executioni mandaveris , quotiescum-  
que fuerit circa aliquid a me proveniens .

Inspiciens igitur tot res vagas oculis , & in  
terrīs pretio habitas , puta , omnes esse vilissi-  
mas , & velut stercore , comparatione cœle-  
stium divitarum , quibus , toto mundo con-  
tempto , omni inhiare debes affectu .

In Solem obtrutum dirigens cogita, longe illo nitidiorem, & lucidiorem esse animam tuam, cum gratiam Creatoris tui habes in te; nigriorem vero, & fœdiorem tenebris, atque immunditiis omnibus; cum ea cares.

Corporales oculos ad Cœlum elevans, qua operiris, spiritualibus animæ oculis superius ad Empireum usque conscende, illicque mentis aspectum figens, tanquam in locum, qui tibi (si in terris vitam vixeris innocentem) ad æternum felicissimumque habitaculum paratus est.

Volucrum, vel alterius audiens cantum, assurge mente ad dulcissimos Paradisi cantus, ubi continuum resonat Alleluja: Deumque roga, ut dignus efficiaris canendi perpetuo ad illius laudem una cum spiritibus beatissimis, qui in Cælo sunt.

Tum advertens, te creaturæ pulchritudine pasci, conspice intellectu, & vide; nam infernalis sub ea serpens absconditur, qui totus intentus, & promptus est, vel ad te perimendum, vel saltem ad vulnera tibi infligenda. Ideo contra ipsum tali pacto assurgere posteris: *Maledicte serpens, quomodo callida paratus adstas ad me vorandum?* Deinde ad Deum conversus dices *Benedictus fit Deus meus, qui hostem meum detexisti, Et me a rapidis ejus faucibus liberasti,*

Ex delestatione postmodum illico ad vulnera Jesu Christi fuge, mentem in eis occupans, meditansque, quanta Dominus tuus passus

passus sit in sanctissima carne sua , ut te a peccato eriperet , utque carnis voluptates , atque illecebras odibiles tibi redderet .

Alium rursus modum præbeo tibi ad supradictam periculofam delectationem fugiendam ; estque , ut intime penitentes , quale erit post tuam mortem illud objectum , quod tibi nunc adeo placet .

Iter faciens , ne obliviscaris , quod singulis passibus , quos figis in terra , morti magis appropinquas .

Volitantes videns aves per aerem ; vel fluenter etiam undam , statim reflecte , quod majori velocitate ad finem , suumque interitum vita tua percurrit .

Cum furibundi efflant venti , seu cum fulgurat , & tonat , terribilem extremi judicii diem considera , Deumque genuflexus cole , & precare ; ut gratiam , & tempus tibi concedat aptæ præparationis , qua ante irati Numinis Majestatem possis tui animo comparere .

In varietate eventuum , qui tibi possunt contingere , hoc modo te exerceas fili ; cum (exempli gratia ) ab aliquo dolore , aut mœstitia oppimeris , vel calorem , frigus , aut quid aliud pateris , mentem erige ad æternam Domini voluntatem , cui , propter futurum tuum commodum , & utilitatem , placuit , ut ea mensura , & tempore tale incommodum sentias . Quapropter totus tuus lætus , & gaudens ob amorem , quem tibi Deus ostendit , atque etiam propter tibi præstitam opportunitatem eidem

eidem inferniendi, in quacunque re ipsi placeat, ita cor tuum dicas: *Ecce jam in me fit complementum voluntatis divinae: quae amantissime ab aeterno disposuit, ut ego angustias in praesenti sustineam. Benedictus semper sit Dominus Deus meus.*

Cum vero in mente tua quædam de re bona cogitatio creaturæ, protinus te ad Deum converte, & illam ab ipso, debita cum gratiarum actione, recognosce.

Legens, tibi videaris cernere Dominum sub iisdem verbis, quæ legis; ideoque illa audiás, & habeas, tanquam ab ipsomet ore Domini proferentur.

*Sanctissimam Jesu Christi Crucem inspiciens, meditare, illam esse militiæ tuæ vixillum; quod si aliquando deserueris, procul dubio in crudelium inimicorum tuorum manus incides; si vero secutus fueris, gloriosis onustus triumphis, & spoliis, ad Cœlum pervenies.*

Amabilem Mariæ Virginis imaginem videntes, cor ad illam attolle, quæ regnat in Paradiſo; eidemque repende gratias, quod semper Domini obediverit voluntati; nec non quod pepererit, lactaverit, & educaverit Redemptorem tuum, & totius mundi: tum quod in nostro Spirituali Certamine favoribus, & auxilio semper adiit.

Sanctorum imagines repræsentent tibi tēt Heroes magnanimos; qui, hostium suorum debellatione, viam speruerunt, per quam tu

tu quoque excurrens, immortali glòria coronaaberis.

Ecclesiam invisens, inter alia cogitare hoc etiam poteris: nempe animam nostram esse templum Dei; atque ideo, velut Divini Numinis habitaculum, puram, mundamque servandam esse.

Quotiescumque tria signa Angelicæ Salutationis audiveris, circa sequentes breves meditationes te exercebis: conformes etenim sunt sacris verbis, quæ cuilibet istarum orationum larum præmitti solent.

Ad primum signum: gratias perage Domino ob Nunciationem, quam e Cœlo in terram misit, & salutis nostræ exordium fuit.

Ad secundum signum: gratulare Matriæ Virginis de ipsius prærogativis, & donis, ad quæ ob præcipuam, & profundissimam humilitatem suam elevata est.

Ad tertium signum: simul cum eadem Matre felicissima, atque Archangelo Gabriele Divinum Puerum nuperrime conceptum adora.

Neque obliviscaris caput aliquantis per ad singula signa ob reverentiam infletere, & aliquanto magis ad ultimum.

Istæ meditationes in tria signa distributæ, pro quibuscumque etiam temporibus infervire possunt.

Quæ vero subsequuntur, in vespertinas, matutinas, & meridianas dividantur: spectantque ad passionem Domini; tenemur enim recordari sæpe dolorum, quos ratione prædictæ passio-

passionis Domina nostra sacratissima passa est.  
Nam ingrati alioquin summopere essemus, si  
hoc, vel negligeremus, vel prætermitteremus.

Vespere, in memoriam tuam refer angu-  
stias purissimæ Virginis Mariæ ob sudorem san-  
guineum Jesu Christi, ob ejus capturam in hor-  
to, & ob alios occultos dolores tota illa nocte  
ab ipsomet Christo Domino toleratos.

Mane, Virginis miserearis inter afflictiones  
morantis propter Filii sui unigeniti præsentatio-  
nem Pilato, & Herodi, nec non propter latam  
mortis sententiam, Crucisque bajulationem.

Meridie, considera doloris gladium, qui  
cor dolentis Matris pertransiit ob Crucifixionem,  
& mortem Filii sui, nec non ob vulnus crude-  
lissimum, in ejusdem Domini latere referatum.

Hisce contemplationibus dolorum B. Virginis  
vacare poteris a vespere diei Jovis, usque ad me-  
diatatem diei Sabbati, aliis vero diebus aliis. At-  
tamen hoc etiam committo pietati tuæ, nec non  
occasione, quam res exteriores præstabunt tibi.

Ut autem breviter doceam te modum, quo  
sensus regere debes: in primis ita vigila, ut in  
rebus, & eventibus omnibus, non ab amore vel  
odio, sed a voluntate Divina movearis, atque at-  
traharis: illa tantum amplectens, quæ vult  
Deus, ut amplectaris, illaque solus etiam re-  
jiciens, & odio habens, quæ Deus vult, ut re-  
jicias, & odio habeas.

Porro animadverte fili, me non ideo præ-  
dictos modos moderandi sensus tradidisse tibi,  
ut occuperis in illis; (fixam enim semper ha-

bere mentem debes in Dominum, qui cupit, quod per frequentes actus, hostium, & rebelium passionum tuarum victoriæ incumbas, tum per resistentiam, tum per productionem actuū contrariarum virtutum) sed idcirco me illos tibi dedisse: ut scias, quid te agere oporteat, cum occasio adfuerit.

Sciendum tibi namque est, quod exiguus a nobis fructus percipitur, quando multa exercitia (quamvis in se optima sint) suscipere volamus; ut plurimum enim sub tot exercitiis involucra mentis nostræ, amor proprius, mobilitas, & dæmonis calliditas, atque laquei absconduntur.

## CAPUT XXIV.

### *Modus moderandi linguam.*

**M**agna moderatione, & freno indiget hominis lingua, quia unusquisque valde propensus est ad ejus usum, atque ad illarum rerum discursum, quibus sensus noster delestatur.

Multiloquium fere semper originem dicit a superbia quadam, qua conceptus nostros magni facientes, per multas repetitiones in aliorum animis conamur imprimere, ut illorum præceptores videamur, quasi a nobis eos discere oporteret.

Paucis verbis exponi non possunt mala, quæ a multiloquio procedunt. Laquacitas acediæ mater est: argumentum ignaviæ, atque stultiæ:

tiæ : janua detractionum : mendaciorum ministra : & fervoris divini diminutio.

Verba multa passionibus malis vires addunt, e quibus postea tanto facilius in locutione immodesta perseverandum lingua nostra extimulatur.

Ne te extendas, fili, prolixo sermone cum illis, qui ægre te audiunt, ne molestiam illis afferas, neque diverso modo te geras cum illis, qui tibi benigne aures præbent, ne, sic faciendo, modestiæ confinia, & terminos excedas.

Cum efficacia, & alta voce ne loquaris unquam, quia utrumque valde odibile est, imo præsumptionem indicat, & vanitatem.

De te, de tuis operibus, deque parentibus tuis non nisi ex necessitate verba facias, & quidem brevius, & parcus, quo potes. Quod si quandoque observas alios de se nimis loqui, conare semper, ut bene de illis opineris ; ne ipsos tamen imiteris, etiam si eorundem verb ad humilitatem propriam, & ad sui ipsorum accusationem pertendere videantur.

De proximo tuo, & de rebus ad eum spectantibus rarius loquaris, quo potes, nisi forsan sese objiceret occasio loquendi bene de illo.

De Deo libenter loquere, & præsertim de ejus amore, & bonitate, sed cum timore semper errandi etiam in isto ; atque ideo contentus esto potius alteri differenti de hoc aures præstare, ejusdem verba omni tempore conferens in corde tuo. De cæteris quibuscumque vocalis tantum sonus verborum ad tuas aures perveniat,

mente semper in Deum immobiliter fixa perseverante. Quod si necesse est terrenum aliquem audire sermonem, ut illum intelligas, & ad eum respondeas, ne idcirco prætermittas mentem tuam quandoque intendere ad res cœlestes.

Quæ ad cor tuum dicenda accedunt, expandantur, priusquam ad linguam perveniant; advertes namque sœpiissime, quod optimum foret, si multa ex illis reticerentur. Quinimo te moneo, quod longe melius etiam esset, si involverentur silentio non pauca ex illis, quæ proferre, bonum esse putaveris. Hoc autem evidenter cognosces, si, transacta occasione colloquii, ad ea cogitationem tuam converteris, quæ tacuisti.

Silentium, fili mi, est magnum Spirituali nostri Certaminis robur, securaque victoriæ spes.

Silentium enim est familiare illis, qui de se diffidunt, & in Deum confidunt: est sanctæ orationis custos: & auxilium admirabile ad virtutum exercitationem.

Ut autem assuescas tacere, frequenter considera damna, & pericula multiloquii, & maxima, ex adverso, silentii bona. Tum virtutem hanc silentii dilige, atque, ut habitus illius coalescat in te, pro aliquo tempore tace in iis vel locis, in quibus loqui res mala non esset, dummodo tamen istud, aut tibi, aut aliis non pariat detrimentum.

Juvabit ad hoc etiam, si fugerimus, a colloquiis familiaribus. Pro societate etenim hominum

minum societatem Angelorum, Sanctorum, & ipsius Domini habebimus.

Denique, ne, quæso oblivia caris certamini, quod a te perficiendum est. Nam agnoscens tu, quam multum in hoc agere debeas, non difficulter a verbis superfluis & inanibus abstinebis.

## CAPUT XXV.

*Ut Christi miles bene contra suos hostes decer-  
tet, debet pro omnibus suis viribus cordis  
perturbationes, & molestias effugere.*

**D**ilekte fili, debemus quidem, si nonnunquam cordis pacem amisimus, omnes nostras vires impendere, ut eam recuperemus; sed, scias insuper, opus est, quod nullus even-  
tus in terris potest accidere, per quem pax interna auferri a nobis debeat, aut turbari. Quare

De peccatis nostris nos quidem contristari oportet, sed pacifico dolore, sicut non paucis in locis tibi superius ostendi. Eodem modo cuilibet alteri peccatori (cum propter illum tristamur ex charitatis affectu) compatiamur; licet enim intra nostri cordis intima cujusvis peccatoris crimina lugere te bonum sit, praeter inquietudinem tamen animi nostri, hoc nobis faciendum est.

Reliquos autem graves, periculosos even-  
tus (quales sunt infirmitates, vulnera, consanguineorum mortes, pestes, bella, incendia, & hujusmodi mala) quamvis, ut plurimum, tan-

quam naturæ repugnantes ab hominibus repellantur, possumus nihilominus non solum velle; sed, divina juvante gratia, etiam diligere veluti charos, & sicut justa scelestorum supplicia, virtutumque occasiones hominibus bonis. De illis enim magnopere sibi etiam complacet Dominus Deus noster, cujus nos voluntati obtemperantes, per quascunque amaritudines, & adversitates præsentis vitæ animo quieto, atque tranquillo excurremus.

Certus igitur esto fili, quamlibet nostram inquietudinem displicere oculis Domini, quia, cujuscunque generis illa sit, nunquam sine imperfectione est: immo semper ab aliqua radice amoris proprii procedit.

Propterea vigilantem semper habeas aliquem intellectus actum ad tui custodiam, qui (statim ac observat aliquid, a quo inquietudinem, vel tristitiam pati possis) signum ostendat; ut subito arma ad defensionem tuam suscipias, considerando nempe, & pro certo habendo, mala illa, & multa alia similia (licet foris mala videantur) vera tamen mala non esse, neque per illa surripi nobis vera bona: sed a Deo ea tantum dirigi propter causas prædictas, vel propter alias a nobis non penetratas, rectissimas tamen, & absque ulla dubitatione sanctissimas.

Sic autem viventes, animo scilicet semper tranquillo, & imperturbato in quocunque evenitu; multum boni possumus operari; ubi aliter facien-

faciendo, exercitium nostrum parum, aut nihil  
utile foret.

Præterquam quod, cum inquietum cor no-  
strum est, variis hostium incursionibus omni  
tempore manet expositum: neque reclam, &  
securam perfectionis viam valemus agnoscere,  
vel intueri.

Adversarius noster diabolus, qui summo-  
pere ab hac pace abhorret (eo quod ista sit ve-  
lut locus, in quo Dei spiritus habitat, ut in eo  
magna operetur) saepe sub indumentis amica-  
bilibus quaerit illam a nobis surripere per va-  
ria desideria, & cupiditates, quæ extrinsecus  
aliquam boni speciem habeant. Quod talia ve-  
ro desideria, seu cupiditates ex maligni nostri  
hostis dolo sint, vel maxime ex hoc dignosci  
potest, quia cordis nostri quietem, atque tran-  
quillitatem a nobis rapiunt.

Idecirco, fili ut tantum daminum devites,  
statim ac intellectus nostri actus (qui excubia-  
rum fungitur munere) aliquam novam cupidi-  
tatem, aut desiderium a longe detegit, illi cor-  
dis ingressum ne præbeas, nisi prius a quolibet  
amore proprio, atque ab omni tua voluntate li-  
ber fueris; & nisi ipsemet cupiditatem, & de-  
siderium Deo obtuleris, cæcitatemque, & ig-  
naviam tuam apud eum confessus, ipsum toto  
corde rogaveris, ut tibi suo lumine ostendat:  
an a se, vel ab infernali hoste talia proveniant.  
Confuge pariter, quoad potes, in istis occa-  
nibus ad judicium Patris tui spiritualis.

Tametsi vero supradictæ cupiditates, & desideria a Deo essent, nihilominus antequam ea exequaris, & ad opus reducas, servidus tuus erga illa spiritus mortificetur; opus enim, quod ad mortificationem illam subsequeretur, Deo magis erit gratum, quam si cum nostræ naturæ propensione, & aviditate factum fuisset; immo quandoque ea mortificatio Domino gratior erit, quam ipsum opus.

Itaque desideria, quæ bona non sunt, a te repellendo, & bona quæque ad effectum non reducendo, nisi prius naturales tuos motus represseris, in pace semper, & tutum cordis tui propugnaculum reservabitur.

Ut vero omnino pacificum semper conserves cor tuum, oportet illud etiam tueri, & custodire a quibusdam internis reprehensionibus, & stimulis, qui nonnumquam a diabolo oriuntur, quamvis (eo quod te aliquis erroris accusent) a Deo esse videantur. A fructibus eorum optime cognosces, qua ex parte proveniunt.

Nam, si te humilem reddunt, atque in operibus bonis diligentem, neque a te confidentiam in Deum auferunt; tanquam a Deo cum gratiarum persolutione sunt admittendi, sed si te confundunt, atque pusillanimem; dissidentem, pigrum, & in operatione bona tardum efficiunt; pro indubitato crede, quod ad adversario sunt; atque ideo illis aures ne præbeas, sed in exercitio tuo, absque ulla mora, progredere.

Et quia , præterquam a supradictis desideriis, & cupiditatibus, nascitur ut plurimum etiam inquietudo in corde nostro a rerum contrariorum eventibus ; ut ab istis te bene communias, duo tibi hic proponuntur facienda.

Primum est , ut investiges , & agnoscas , cunam tales eventus opponantur , spiritui ne , vel amori proprio, tuæque propensioni , & voluntati ?

Si enim adversentur voluntati tuæ , & tui ipsius amori, qui est præcipuus , & inextinguibilis hostis tuus , non debes eventus illos contrarios dicere ; sed pro magnis favoribus , aptisque Domini auxiliis reputare ; quapropter læto etiam corde , & cum gratiarum actione accipiendi sint.

Si vero prædictos eventus spiritui cognoscas adversari , non ideo permittendum est , cordis pacem deficere , sicuti in sequenti Capitulo advertes.

Secundum quod tibi proponitur , est , ut mentem in Deum eleves , cæcisque oculis admittas , & probes , absque discussione vel minima , quidquid tibi a divina providentia immittitur ; illud namque multa bona tibi pariet , quæ te tunc temporis latent.

## CAPUT XXVI.

*De eo , quod a nobis agendum est , ubi ab hostibus fuiimus vulnerati.*

Cum vulneratum te conspicis , eo quod in aliquem errorem lapsus sis ob fragilitatis tuæ causam , seu nonnunquam etiam ob malitiam

tuam, ne idcirco pusillanimis, & inquietus fias, sed illico ad Deum conversus hisce illum dictis affatre:

*Ecce Domine fui operatus ex illo proorsus, qui sum, nec a me quidquam aliud erat expetandum praeter lapsus, & peccata.*

In hoc autem parumper insistens sedulo cura ut vilis in oculis tuis appareas: dole quam maxime de offensa Domini tui, & indignare (sine tua tamen interna turbatione) adversus malas proclivitates tuas, & præfertim adversus illum, quæ causa fuit illius lapsus,

Progredere deinde, & dic:

*Non hic tamen, Domine mi amantissime stetissim, nisi ob maximam misericordiam tuam auxilio mihi labenti cito adsuisses.*

Illa considerans gratias postea reddas eidem Deo, & magis, magisque ipsum diligere studias, tantam admirans clementiam; nam, etsi offensus a te fuerit, dexteram tibi nihilominus porrigit, ne rursus pecces.

Ultimo dic magna cum confidentia in bonitate divina:

*Fac mecum, Domine, secundum misericordiam tuam: ignosce, queso; mihi Deus, & ne permittas, ut ego sejunctus a te vivere valam; vel, ut Majestatem tuam deinceps offendere possim.*

Hoc autem peracto, ne scruteris, an Deus tibi peccata dimiserit, vel non dimiserit, istud enim nihil aliud est, quam mentis superbia, animi perturbatio, temporis amissio, & fallacia

cia dæmonis , qui sub illius boni imagine accedit ad te. Quapropter totum te Domini manibus committens , exercitium tuum prosequere , tanquam si lapsus non fuisses.

Quod si quotidie sæpe laberis , & vulneraris ab hostibus , in hoc , quod tibi ostendi , exerceas te , pari , eademque cum fiducia , ter , & semper ; tum magis magisque te contemnens , atque odio habens peccatum tuum , te in omnibus caute geras.

Hoc exercitium valde Satanæ displicet ; tum quia conjicit gratissimum hoc esse Domino : tum etiam quia confusione ab eo ipso met patitur , cum se vinci ab illo cernat , quem prius ipse devicerat. Atque ideo variis , atque fraudulentis modis operatur , ut istud exercitium intermittamus , & sæpe obtinet , quod cupit , propter negligentiam nostram , exiguumque adeo vigilantiam , & curam nostram supra nos ipsos.

Quare , si difficultatem in hoc inveneris , eo majori cum vi adversus te agere debes , iterum , atque iterum resumens istud exercitium , quamvis unus tantum fuerit tuus error , & lapsus.

Quod si post errorem te noveris turbatum , confusum , & dissidentem ; quod tibi in primis agendum , fili , hoc est : pacem interiorem recuperare , cordisque tranquillitatem , nec non etiam confidentiam in Deum ; istis vero instrutus armis ad Deum te vertes ; inquietudo enim , quæ reperitur in nobis propter peccatum , non habet pro objecto offensam Dei , sed damnum nostrum.

Modus vero acquirendi amissam pacem hic est ut, pro illo tempore, omnino peccati obliviscaris, & meditari incipias ineffabilem Domini bonitatem; promptissimus namque est semper, & cupidus tam misericors Dominus ad quodcunque peccatum, vel maximum, omnibus hominibus remittendum; quinimo peccatorem per modos varios, diversasque vias vocat, ut appropinquet ad se, secumque uniatur in hac vita per gratiam in sanctificationem, in alia vero vita per gloriam in beatificationem æternam.

Postquam autem his, vel similibus considerationibus pacificam mentem tuam reddideris, ad errorem tuum te verte, illaque perage, quæ in hujus Capituli exordio docui te.

Tempore postea Sacramentalis Confessionis (quam frequentem habere te hortor) omnes errores tuos percurre novo cum dolore, & displacentia de offensa Dei, nec non firmo, constante cum proposito non offendendi amplius Dominum Deum. Tandem sincere, & in cor-dis simplicitate eos Patri tuo spirituali confitere,





## CAPUT XXVII.

*De ordine, quem servat diabolus in pugnando, & in decipiendo, non tantum illos, qui cupiunt se omnino virtuti tradere, verum eos etiam, qui jam in peccati servitute detinentur.*

**D**ilekte fili, sciendum tibi est, quod diabolus ad aliud non incumbit, quam ad perniciem nostram; & quod eodem modo cum omnibus non decertat. Quare.

Ut aliquos ex ejusdem conflictibus tibi detegam, plures hominum status propono ante oculos tuos;

Quidam enim in peccatorum servitute reperiuntur absque ulla cogitatione se liberandi ab illis.

Quidam liberi esse vellent, sed nunquam operi manus admovent, ut liberentur.

Quidam putant se virtutis iter calcare, & ab illo semper magis distantes fiunt.

Quidam denique post non paucarum virtutum assecutionem majori cum ruina labuntur.

De his omnibus singillatim inferius tractandum est.



## CAPUT XXVIII.

*De certamine, atque fallaciis, quibus utitur  
dæmon adversus illos, quos in peccato-  
rum servitute devindos tenet.*

**V**ellem bene scires, fili, aliud a diabolo non intendi (cum aliquem in peccato detinet mancipatum) quam magis, magisque excæsare miserum peccatorem: imo quam eundem a qualibet removere cogitatione, quæ ipsum in agnitionem posset inducere infelicissimæ vitæ suæ.

Neque hostis callidissimus deceptum peccatorem a cogitationibus, & ab internis illustrationibus (quæ illum ad conversionem vocant) tantummodo retrahit per alias, oppositasque cogitationes, sed per occasiones paratas, aptasque in peccatum prius commissum rursus illum inducit, vel quandoque etiam in majora. Quibus densior & caliginiosior peccatoris cæcitas facta, velocius deinde ex se ipso tendit in præcipitum, & in habitus peccatorum. Atque ita ex prima in alteram, & quidem majorem cæcitatem, & ex una in aliam semper fœdiorem culpam, velut per gyrum, infelix ejus vita excurrit usque ad interitum; nisi Deus per potentissimam gratiam suam illi succurrat.

Aptum huic rei remedium (quoad nos pertinet) istud videtur, ut ille, qui in miserrimo hoc statu invenitur, cito cogitationes atque inspirationes divinas (per quas e tenebris evocatur ad lucem) in se admittat; tum etiam ut claret

*met ex toto corde ad Creatorem suum , eique dicat : Auxiliare cito mi Domine , auxiliare , nec me inter istas peccatorum caligines amplius relinquas.*

Hoc autem , vel simili modo frequenter iste clamabit , & vociferabitur .

Ubi vero potuerit , protinus ad Patrem suum spiritualem accedet , suppetias , atque consilium ab eo petens , ut se tueri valeat ab adversario suo .

Quod si Patrem spiritualem adire non posset , celerrime ad Crucifixum Jesum advolet , seque ad ejus pedes sacratissimos devolvat , facie in terram demissa tum nonnunquam etiam ad Mariam Virginem Matrem nostram benignissimam , semper misericordiam agitans , & auxilium .

Pro certo autem habeas fili , victoriam nostram in hac consistere celeritate ; ut e sequenti Capitulo melius percipies .

## CAPUT XXIX.

*De arte , atque fallaciis , quibus daemones illaqueatos eos tenet , qui proprium malum agnoscentes , vellent ab illo liberari , & quare effectu saepe careant proposita nostra ?*

**Q**uicunque malam vitam cognoscunt , in qua sunt , & immutate illam cupiunt , sequentibus armis , insidiis a diabolo eorum adversario vinci solent .



*Postea, postea* hoc , vel illud faciam , dicit unus ex his.

*Cras, cras,* (nō aliter ac *corvus crocit*) ait alter.

Volo prius circa rem istam decernere , me- que a tali expedire negotio , & involucro , & deinde majori cum cordis pace totum me ipsum spiritui consecrare , afferit aliis.

Sed laqueus iste est , in quem non pauci semper inciderunt , & incident quavis die. Prædicti autem laquei potissima causa est negligen- tia , & ignorantia nostra ; nam in tanto animæ nostræ negotio , in quo ejusdem salus simul cum Dei honore periclitatur , arma statim non ac- cipimus , & adhibemus , quæ assignantur inferius , & potentissima sunt.

*Modo, modo* mihi hoc agendum est , quis- que debet sibi dicere , & quare *postea* ?

*Hodie, hodie,* & quare *Cras?* contra se urgeat istiusmodi negligens.

Tum sibi dicat : Dato etiam , quod mihi concederetur illud *Postea* , & istud *Cras* , quo- modo miser ego per veram salutis , & trium- phi viam excurrat , si vulnerari a meis hosti- bus , majoraque in mala semper labi tam parvi pendo ?

Vides ergo , fili , quod (ut fugere possis ab hac fallacia , & ab alia in præcedenti Capitulo detecta , utque adversarium tuum confernes ) pro remedio unico maneat prompta , & parata divinis illustrationibus , & vocationibus obedien- tia : Celeritas inquam in operationibus sola esse

remedium potest, non vero multa proposita, quia istis saepe homines capiuntur. Quare multi inter hujusmodi proposita varias ob causas, sed ob tres praecipue, decepti sunt.

Prima autem praedictarum causarum (de qua superius etiam locuti sumus) est: quia saepe proponimus operari bene, malumque devitare, & proposita nostra pro suo fundamento non habent dissidentiam de nobis ipsis, & confidentiam in Deum; tum etiam, quia nostra magna superbia non permittit, ut videamus, & agnoscamus, a quoniam procedat haec cæcitas, atque illusio nostra.

Lumen, quo talis cæcitas dignoscitur, & auxilium, quo remedium ei præstatur, a misericordia Domini provenit, qui nos labi permittit, ut per lapsum a nostri confidentia nos revocet ad solam in eum confidentiam, & a superbâ nostra ad humilem nostri ipsorum cognitionem.

Quare, si cupis, quod proposita tua efficacia sint, opus est, ut firma, atque constantia maneant in se ipsis. Tunc autem hujuscemodi erunt, cum nihil confidentiae in te habebunt, cunctaque humiliter erunt fiducia Domini radicata.

Secunda causa est, quia, cum aliquid proponimus, proposita nostra potius ad virtutis pulchritudinem respiciunt, (quæ ad se voluntatem nostram, quamvis alioquin pigram, & languidam circa bonum, trahit) quam ad subeundam difficultates, quæ in virtute adipiscenda inveniuntur.

tur. Quapropter mirum postea non est, quod proposita nostra male adeo fundata (talibus sese objicientibus difficultatibus) in nihilum resolvantur.

Idcirco assuesce fili, magis difficultates diligere, quæ in virtutum acquisitio reperiuntur, quam virtutes ipsas; hisque difficultatibus voluntatem tuam semper enutrias, modo parum modo multum pro opportunitate, si vere virtutes desideras possidere.

Et scito, eo citius, & majori cum gloria te hostes tuos superaturum, quo majori cum animi generositate difficultates prædictas fueris amplexatus, & quo easdem habueris chariores.

Tertia causa est, quia proposita virtutem, & voluntatem divinam quandoque non respiciunt, sed nostrum proprium bonum. Quæ res evenit ut plurimum in propositis illis, quæ fieri solent tempore deliciarum spiritualium, seu etiam tribulationum valde nos afflignantium. In istis enim levamen aliud non invenimus, quam proponere, quod Deo, virtutumque exercitacioni omnino tradere nos velimus.

Dilekte fili, ne in hos errores incidas, tempore spiritualium delectationum esto cautus, & humilis in propositis tuis, præsertim vero in promissionibus, & votis. Cum ab aliqua tribulatione affigeris, proposita tua tunc sint de eadem tribulatione patienter ferenda, diligendaque, cum refutatione cujuscunque levaminis terreni, imo nonnunquam etiam cœlestis, si ea fuerit voluntas, & placitum Domini nostri.

Hinc

Hinc una semper sit petitio , & desiderium tuum ; ut tibi Deus auxilium immittat, quo aduersa omnia, sine detrimento virtutis patientiae, & absque ulla Divini Numinis displicentia , valeas sustinere.

## CAPUT XXX.

*De illorum errore, qui se velociter ad perfectionem pergere arbitrantur.*

**V**icto jam hoste in prima, atque secunda aggressione , & fallacia superius denudata ad tertiam malignus , & callidissimus ipse accurrit ; quæ tendit ad hoc , ut nos oblii inimicorum nostrorum (qui nobiscum ætu decertant, damage que incutiunt) in cupiditatibus , & propositis altiorum graduum perfectionis detineamur.

Ex quo oritur , quod nos perpetuo vulnus remur , & inficta vulnera non curemus : tum quod proposita nostra , non tanquam proposita, sed tanquam propositorum effectus æstimantes , inaniter in superbiam efferamur.

Quare ne exiguum quidem rem , aut minimum verbum tolerare volentes , tempus inde in prolixis meditationibus consumimus , in iisque proponimus , nos patienter ferre velle pœnas graves , & multoties illas etiam Purgatorii pro puro , & solo amore Domini nostri.

Quia vero inferior , & sensualis pars nullam in hoc experitur repugnantiam , ut evenire solet in te , quæ longe absit a nobis , ideo suadere nobis audemus miseri , nos ex illis esse , qui vere graves angustias perferunt cum patientia.

Ut igitur, fili, errorem hunc possis effugere, propone quidem, sed simul etiam cum hostibus tuis actualiter semper dimica; ipsi enim prope, & acerrime semper pugnant adversus te. Sic namque faciendo agnosces evidentissime, utrum proposita tua sint vera, vel falsa, firma, vel infirma; tum sic ad perfectionem per viam tutissimam, & veram absque dubio perges.

Adversus hostes tamen, qui molesti tibi non sunt, suadere tibi certamen, bonum esse non duco, nisi forsan moraliter certus sis, te ab illis intra breve temporis spatium invadendum esse. Tunc etenim, ut paratus, & fortis ad certamen opportuno tempore inveniaris, opus est proposita elicere, & firmiora, quo potes, antequam pugnes.

Cave tamen, ne nunquam tua proposita tanquam effectus propositorum existimes, etiam si a multo tempore debitissimis modis te in virtutibus exercueris: sed in ipsis humilis esto semper: te ipsum time, & infirmitatem tuam: & in Deo confidens per frequentes preces ad ipsum accede, ut in robore obfirmeris, utque a periculis omnibus defendaris: sed praesertim ab omni confidentia, & præsumptione tui ipsius.

In hoc etenim casu (etsi tolli nequeant defestus, quos Dominus ad humilem nostram cognitionem, & ad boni alicujus munimen in nobis aliquando permittit) licet nobis proposita efficere de altiori gradu perfectionis.



## CAPUT XXXI.

*De insidiis, atque certamine, quibus diabolus utitur, ut a nobis deseratur via, quæ ad virtutem perducit.*

**Q**uarta fallacia superius enumerata, qua nos infensissimus, hostis noster aggreditur, dum videt, quod recta pergitus ad virtutem, sunt variæ, & bonæ quædam cogitationes, quas in nobis excitat, ut a virtutum exercitatione præcipites in vitium prolabamur.

Quidam (exempli gratia) est ægrotus, & patienter tolerat infirmitatem suam: sagax hostis quid facit? Agnoscens, quod in illa infirmitate patientiæ habitus ab ægroto acquiri possit, alia bona opera ei offert, quæ in alio statu facere posset; conaturque omni studio illi suadere, quod, si esset in meliori statu, melius quoque posset Domino deservire, sibi aliisque afferendo utilitatem.

Ubi autem malignus hostis has cupiditates in infirmo fuscitavit, eas magis, ac magis paulatim succendit, donec inquietum, & impatientem reddat ægrotum in ægritudine sua, & quidem sub hoc titulo quod propter ægritudinem illam nequeat ægrotus ea bona præstare, quæ alioquin posset, & cuperet.

Quo majores vero fiunt, & robustiores prædictæ cupiditates, magis una etiam crescit inquietudo: a qua deinde pessimus hostis sensim ægrotum deducit ad morbum suum impatienter

tolerandum, non quatenus morbus ille est, sed quatenus impedimentum illorum operum, quæ anxie optabat exequi ob majus bonum.

Nec satis: Cum adversarius noster in hæc ægrotum impulit, eadem calliditate ab ejus mente finem illum surripit servitii Divini, & bonorum operum, eique solam cupiditatem relinquit sanitatis recuperandæ.

Quod si postea juxta ejusdem ægroti desiderium sanitas tam cito non subsequatur, adeo contrastatur ægrotus, ut impatiens omnino fiat. Atque ita à virtute, quam exercebat, ad vitium virtuti illi contrarium, absque advertentia, pertransit.

Modus præcavendi, & se opponendi prædictæ fallaciæ hic est, ut quoties in aliqua afflitione reperiris, bene advertas, ne in animum tuum cupiditatem admittas alicujus boni, quod tunc temporis non valeas ad effectum deducere, alioquin perturbareris, & fieres inquietus.

Debes enim omni cum humilitate, patientia, atque resignatione constanter credere, quod desideria tua effectum illum non haberent, quem putas: cum tu vecors & instabilis magis sis, quam te esse agnoscas.

Vel cogitare intra te debes quod Deus ob recondita judicia sua, seu etiam ob tua demerita bonum illud a te nolit, neque expectet; sed potius, ut patienter te tradas humilitati sub dulci, & potenti manu ejus.

Itaque, fili, si a Patre tuo spirituali, vel ab alia causa adeo impediari, ut, pro voluntate

tate tua , frequentare non possis devotiones , & præsertim sacram Communionem , ne ideo tristis , vel inquietus sis propter istarum rerum cupiditatatem , sed omni tua exutus animi propensione in due Jesu Christi placitum , tecum dicens

*Nisi divinæ providentiae oculus in me ingrati animi vitia defectusque cerneret , hodie sanctissimo Eucharistiæ Sacramento non privarer . Idcirco cum videam , per hoc meam mihi indignatatem , & errorem manifestari , semper Deo laus detur & benedictio in sæcula sempiterna . Confido tamen , Domine mi , in bonitate tua , quia cupis , ut (te perferendo , & tuum placitum faciendo) cor meum omnino devoveam voluntati tuæ dispositum : ut per ingressum tuum illud consoleris , & communias adversus hostes , qui eripere a te ipsummet quærunt . Fiat igitur Domine totum id , quod in oculis tuis bonum est . Hanc solam a te gratiam peto , charre , & dulcis amor ut anima mea emundata , & libera a qualibet re , quæ tibi displicet , sanctis ornata virtutibus , parata semper inveniatur ad tuum adventum , & quodcunquie de me disponere tibi placeat .*

Si observaveris monita hæc , fili , pro certo habe , quod semper præsto tibi erit occasio satisfaciendi , & placandi Domino in quovis bono desiderio , quod exequi ex te non valeas . Si ve enim tale desiderium a natura proveniat , si ve a dæmone , ut te perturbet , & a virtutis itinere abducat ; vel etiamsi a Deo aliquando pro-

cedat, ut experiatur resignationem tuam voluntati suæ: semper tibi occasio esse poterit, qua Domino tuo satisfacias eo modo, quo magis eidem arrideat. In ipsis autem vera devotio, & obsequium, quod a nobis Deus exigit, constitutum est.

Moneo te insuper, fili, ut in afflictionibus (a quacunque causa istæ oriuntur) semper patienter te geras. Quinimo, si ad hoc obtainendum aliqua volueris adhibere media, licet ea feligeres, quibus præstantiores Dei servi usi sunt, illis nihilominus ita utaris, ut nunquam a prædictis tribulationibus liberari cupias: sed propter hoc solum iisdem utere: quia sic Deus vult, eique placet, ut illis utaris. Ignoramus enim nos, num placeat majestati Divinæ nos liberare per suscepta a nobis media, licet alioquin bona.

Si aliter autem feceris, certissime in mala plurima præceps ibis. Facile enim ad impatientiam descendes, si res juxta tuum desiderium, & propensionem non succedant; vel saltet patientia tua, si illam conservares, cum aliquo defectu immiscetur; atque omni ex parte grata Deo non esset: imo exigui foret meriti apud ipsum.

Tandem te moneo de occulta quadam fraude nostri proprii amoris, qui sæpiissime vitia nostra tueri, & abscondere solet.

Sic (ut exemplum tibi afferam) cum quis ægrotus est, & parum patienter perfert ægritudinem suam, velamine alicujus apparentis boni tegit impatientiam suam, dicitque, dolorem suum

suum vere non esse impatientiam propter ægreditudinem opprimentem, sed rationabilem, justamque displicentiam, eo quod ipse idem suæ ægreditudini dederit occasionem, quodque ab aliis (ob servitutem, quam sibi præstant, vel ob similes causas) damnum sustineri debeat, atque molestia.

Hoc eodem prorsus modo se gerit ambitiosus, qui pro dignitate non obtenta tristatur; mœrorem namque, & tristitiam, qua aliquando afficitur, nunquam tribuit vanitati, & superbiæ suæ, sed semper aliis rebus, quas in aliis oecasionibus gravioribus ab eo nihili pendi manifestissimum est.

Quæ omnia evidentissima signa sunt, radicem afflictionis, quæ reperitur in istis, ab alio non oriri, quam ab odio, quod habent de rebus illis, quæ sui ipsorum voluntati adversantur.

Tu igitur, fili, ne in hosce, vel similes errores incidas, patienter semper quamlibet habe molestiam, & pœnam, a quacunque causa illa procedat, ut superius dixi.

## CAPUT XXXII.

*De quinta, seu ultima aggressione, & fallacia,  
qua nos tentat diabolus, ut virtutes acqui-  
sitæ, occasiones exitii nobis sint.*

**C**allidus, atque malignus serpens semper deceptionibus suis nos aggreditur etiam circa virtutes jam acquisitas, ut istæ in nostram perniciem commutentur. Quare nihil prætermittit,

tit, quo nos in complacentiam de rebus nostris inducat: ut propter illas in nobis ipsis elati, in vitium postmodum superbiæ, & inanis gloriæ corruamus.

Ut hoc periculum cavere possis, fili, omni tempore pugna, in aperto, tuoque campo profundæ, & veræ cognitionis tui ipsius perseverans, consideransque, quod nihil sis, nihil scias, nihil valeas, nihilque in te habeas, quam defecetas, & miserias; nec aliud quidquam, præter damnationem æternam, merearis.

Esto autem constans, & firmus inter hujus veritatis terminos, fili, neque te unquam permittas, vel paululum distrahi ab ulla cogitatione, aut ab alia re, quæ tibi accidat, pro certo semper habens, ea omnia esse tot hostes tuos, a quibus (si in eorum manus incideris) vel omnino interficieris, vel saltem lethaliter vulneraberis.

Ut vero rite exercearis, & dimices in prædicto campo veræ cognitionis de te ipso, & de nihilo tuo, hanc addo tibi regulam observandam.

Quoties ad tui ipsius, vel operum tuorum consideratione te recipere volueris, cogita semper illud solummodo, quod in iisdem operibus tuum est, non autem illud etiam, quod est a Domino, ejusque gratia. Qualem vero te esse repereris, & agnoveris, talem te crede.

Si consideraveris enim tempus, priusquam creatus es, invenies, in æternitatis abyssō te nihil prorsus fuisse, nihil ibi te operatum esse:

Imo

**I**mo nihil te operari potuisse, ut esse illud obtineres, quod modo habes.

Si vero præfens tempus putaveris, quo ob solam Dei benignitatem vita præsenti frueris, tum Domino deinde restitueris, quod ipsius est, perpetuum nempe regimen, quo te singulis momentis conservat: quid aliud cum tuo solum remanes præter nihilum miserabile? Dubium etenim non est, quod ad primum tuum nihilum (a quo te Dei traxit omnipotentia) redires, si per unum tantum momentum eadem omnipotentia Domini te derelinqueret.

Patet igitur manifestissime, quod in tuo esse naturali (dummodo tuum solum retineas) nihil superest, in quo gloriari possis, vel pro quo cæteri æstimare te debeant, & revereri.

Quo autem ad bonum gratiæ, virtutesque tibi concessas ad bene operandum, si natura tua divino denudetur auxilio, quid boni, & meritorii per se solam poterit operari?

Adde, quod si ex alia parte consideraveris multos errores tuos præteritos, aliosque non paucos, in quos lapsus fuisses (nisi Dominus Deus pia manu sua te protexisset) non difficulter agnosces, quod iniquitates tuæ non solum propter longam temporum seriem, sed etiam propter malorum actuum, atque habituum multitudinem, ad magnum ita numerum ascendissent, ut brevi alter avernal is Lucifer dici posses.

Quare, nisi velis, quod divinum est, tibi tribuere, Deique bonitatem furari, te omnibus quotidie pejorem debes dicere, & judicare.

Adverte tamen accurate, ut judicium, quod de te promis, rectum sit, nam alioquin magnum tibi foret in detrimentum.

Quod si in cognitione malitiæ tuæ aliquem tibi videaris superare, (qui propter cæcitatem suam se esse aliquid arbitretur) cogita nihilominus, quod in voluntatis operibus es pejor illo, si ab hominibus honorari, & talis haberi, atque excipi velis, qualem optime scis te non esse.

Si cupis ergo, ut vera sit cognitio malitiæ, & exiguitatis tuæ: tui per eam hostes arcean-  
tur a te: gratusque reddaris Deo; opus est, ut nedium te contemnas, velut quovis bono indi-  
gnum, omnique malo dignissimum; verum etiam tibi gratum, & dulce sit, vili a cæteris æsti-  
mari; quod facies, si ab honoribus semper ab-  
horrueris, vituperationibus lætatus fueris, quæ-  
sierisque (cum occasio sese obtulerit) id omne  
efficere, quod reliqui homines spernunt.

Istorum enim hominum judicium (ut tuum exercitium semper prosequaris) pro minimo, imo suspe<sup>c</sup>to habere debes, dummodo tamen hoc fiat solum ob humilitatem consequendam, non autem ob occultam animi tui præsumptio-  
neim, palliatamque superbiam, ratione cuius nonnunquam sub specie alicujus finis boni alienam opinionem parum, aut nihil reputamus.

Quod si quandoque contingat, te ab aliis diligi, & in æstimatione haberi, ob prærogati-  
vam aliquam donatam a Domino, fixus & immu-  
tatus omnino in te ipso permaneas, neque a præ-  
dicta

dicta veritate, seu cognitione unquam removearis  
(vel ad unum punctum indivisibile) sed prius  
ad Deum te converte, & dicas intra cor tuum:

*Nunquam verum hoc sit Domine Deus meus,  
ut honores, & gratias tuas mihi velim tribuere.  
Tibi laus, tibi honor, tibi gloria, mihi vero  
confusio. Tum ad laudantem conversus, intra  
te ipsum etiam hoc pacto discurre. Unde est  
me ab hoc homine, bonum credi, cum revera  
solus Deus, & ejus opera bona sint? Hæc fa-  
ciens, reddensque Domino quidquid ipsius Do-  
mini est, hostes tuos non solum propelles, sed  
ad obtainenda dona, & gratias, jam receptis ma-  
iores dispones te.*

Ubi vero bonorum operum reminiscentia  
in vanitatis, & præsumptionis periculum te im-  
pellat, statim eadem opera non tanquam opera  
tua, sed tanquam Dei opera respiciens, ac si  
cum prædictis operibus loquereris, dic intra ani-  
mam tuam: *Quis vos fecit opera? quandone  
apparuistis in mente mea? equidem ego nescio!  
nam causa, & origo vestra ego nec sum,  
nec possum. Quænam ergo causa vos pro-  
tulit? vos nutritivit? vos servavit? Ah nulla  
alia certe fuit, vel esse potuit, nisi Domini bo-  
nitas, & misericordia! Si igitur ita est, solum  
Deum ut verum principium vestrum recognosce-  
re, ipsique soli gratias, & laudes retribuere  
volo.*

Quamvis autem hoc feceris, cogita nihil-  
ominus, omnia supradicta opera bona non so-  
lum parum conformia lumini, gratiæque fuisse,  
q uæ,

quæ, ad ea cognoscenda, & efficienda, tibi liberalissime a Domino donata sunt, sed aliunde etiam valde imperfecta, multumque aberrantia a pura intentione, & fine, Deo tantum placendi, nec non a diligentia, atque fervore, cum quo fieri, atque associari debuissent.

Quare, etiamsi talia opera mente revolvas, de iisdem erubescas potius, quam tibi iuaniter complaceas; certissimum quippe est, gratias (quas a Domino puras, perfectasque accipimus) a nostris imperfectionibus deturpari, ut iisdem utimur, ut operemur.

Imo, si aliud optas medium, ut opera tua, in quantum sunt a te, parvi facias, eà cum illis compara, quæ Sancti, cæterique Dei servi fecerunt; per talem enim comparisonem, cœlesti auxiliante lumine, agnosces, quod majora, & meliora ex tuis operibus longe vilioris valoris, atque æstimationis sint, quam minima eorundem.

Adde, quod si tua opera cum illis comparaveris, quæ Christus operatus pro te est in vitæ suæ mysteriis, & tribulationibus; vel ea consideres, ut dignificata a personalitate divina, vel in se ipsis, absque divina personalitate significante, scilicet cum affectus, & amoris puritate, qua a Christo Domino facta sunt, evidentissime deduces, omnia tua opera nihil majus esse in se, quam nihilum.

Quin insuper, si postremo ad divinam, immensamque Dei majestatem elevaveris mentem, obsequiumque, & servitutem perpenderis, quam ipsa meretur, manifeste perspicies, quod non  
vani-

vanitas , sed magnus horror , & timor deberet esse in te ob singula opera tua , licet tibi undequaque bona viderentur. Propter quæ omnia hucusque recensita , in quolibet opere tuo vel etiam sanctissimo , dicendum tibi est ex puro corde : *Deus propitius esto mihi peccatori.*

Te moneo quoque , fili , ut facilis non sis ad detegenda dona , quæ tibi misericorditer Dominus est impertitus ; hoc enim fere semper displicet Deo , sicuti ab ipso in apposita hic doctrina manifestissime nobis ostensum est.

Apparuit aliquando Dominus tanquam pura creatura in pueri specie piæ cuidam animæ , simplicique , & candido affectu ab hac requisitus , salutationem Angelicam recitaret , prompte ipse incepit *Ave Maria , gratia plena , Dominus tecum , benedicta tu in mulieribus :* sed hic Salutationem abruptit puer Jesus , nolens verbis immediate in ea sequentibus laudare se ipsum ; rogatus vero enixe a prædicta anima , ut prosequeretur ulterius , ille discedens servam deseruit , et si plenam consolatione : per hoc exemplum eam erudiens circa supradictam doctrinam.

Disce ergo tu quoque , fili mi , te humiliare , quandoquidem ignorare non potes , te simul cum omnibus tuis operibus nihil esse.

Hæc namque humiliatio , quarumcunque virtutum est fundamentum. Ideo enim ex nihilo nos Deus creavit , nihilque nos esse voluit post creationem quia cupit , ut supra cognitionem hujus nihili nostri totam molem spiritualem ædifi-

ædificemus. Quare, quo profundius in nihilum nostrum descendemus, eo magis ascendemus in ædificio nostro spirituali.

Hinc etiam juxta copiam misericordiarum nostrarum quas, ad instar effodientium terram, extrahimus a nobis, tot firmos in eundem locum jacet lapides Architectus divinus, ut spirituale ædificium magis crescat, magisque obfirmetur. Neque putes unquam, fili, te posse aliquando adeo descendere, ut opus est, sed potius hanc de te semper habeas opinionem quod, si aliquid infinitum in creatis foret possibile, infinita etiam procul dubio esset nullitas, & miseria tua.

Si rite supradictam nihil nostri cognitionem adhibuerimus, bona cuncta jam possidemus, sed, si ea caruerimus (licet omnium Sanctorum opera efficiamus, semperque in obsequio Domini detineamur) vere nihil omnino erimus.

O magnam, beatamque nihil nostri cognitionem, quæ nos felices in terra, & gloria coronatos in cœlo reddit! O lumen splendidissimum, quod emergens e tenebris puras, & lucidas efficit animas nostras! O gemmam non cognitam, quæ, et si inter miseras, & immundicias nostras inveniatur, nihilominus pretiosa refulget! O nihil! o nihil! vera cujus cognitio nos constituit dominos univerorum.

Concludo jam, fili mi, totoque ex animo dico tibi Si cupis laudare Deum, accusa te apud ipsum, ab aliis accusari desidera; si vis Deum in te extollere, teque in illo, esto cum omni-

omnibus humilis , & sub omnibus pone te : si Dominum invenire per optas , ne te attollas , alioquin fugiet a te : humilis ubique sis , nam ita Deus descendet ad te , teque amplexabitur : & eo charius in amore te uniet secum , quo vilior in oculis tuis fies : quo profundiorem nihili cui cognitionem habebis : & quo magis idcirco tibi complacebis contemni , ac ( veluti rem abominabilem ) omnibus exosum esse .

Quod si post tot considerationes , quæ infallibili veritate nituntur , nedum dæmonis caliditas , verum etiam ignavia , & mala propensio nostra adhuc ita prævaleret in nobis , ut cogitationes de elatione , & superbia non quiescerent , sed quotidie turbarent nos , novique aliquid semper imprimarent in corde nostro ; scito fili , tunc aptissimum esse tempus , ut tanto magis humiliemur in oculis nostris , quanto clarius per experientiam cognoscimus , nos parum in via spiritus , veræque cognitionis nostræ profecisse ; liberos enim nos reddere non valemus ab hujuscemodi molestiis , quæ radices suas omnino trahunt a superbia nostra .

Hoc si recte fecerimus , non solum mei a veneno fugemus , sed a vulneribus sanitatem .



## CAPUT XXXIII.

*De quibusdam monitis ad malas tentationes  
subjugandas, virtutesque novas adi-  
piscendas.*

**D**ilecte Fili, quamvis haec tenus plura dixerim de modo, quem servare debes, ut te possis vincere, & virtutibus exornare, super sunt nihilominus alia, de quibus te moneam, & haec sunt :

Primo. Nunquam te trahi permittas (si vere cupis virtutes acquirere) ab exercitiis illis, quæ pro singulis diebus hebdomadæ, unum nempe pro una virtute aliud pro alia assignari, ut sic, solent.

Sed ordo pugnandi, tuumque exercitium semper sit contra passiones illas, quæ tibi semper damna intulerunt, frequenterque te adhuc impetunt iisdem damnis ; tum ita dirigatur, quoad fieri potest, ut te virtutibus illis exornes, quæ prædictis passionibus aduersantur.

Ubi etiam virtutes hasce acquisieris, reliquas omnes facile, paucosque per actus quam primum adipisceris; eo vel maxime, quod occasiones semper adhuc aptissimæ propter istud; virtutes namque omni tempore conjunctæ inter se sunt. Propterea, qui perfecte possidet unam ex ipsis, adstantes, paratasque ad cordis sui jauum cæteras reperit.

Se undo. Ne tempus unquam ad virtutum adeptionem statuas, id est tot dies, tot hebdoma-

domadas, vel tot annos: sed semper, & ubique te gere, ac si tunc solum nascereris ad pugnam; tum tanquam miles novus decerta: quia hoc modo ad celsitudinem perfectionis earundem virtutum citissime perges.

Neque per instans, vel minimum, consistas, fili; moram enim facere in virtutum via non solum non est animum, atque robur recipere, sed retrogredi, teque debiliorem, quam antea, fieri.

Pro consistere, intelligo ego, cum nos possidere veras virtutes credimus, & quandoque etiam parvi pendimus, tum occasiones, quæ ad novos actus nos evocant, tum errores, qui non adeo graves videntur.

Propterea esto sollicitus, fervens, & prudens, fili, neque amittas occasionem vel minimam acquirendæ virtutis.

Hinc occasiones omnes dilige, quæ viam ad virtutem pandunt, illasque vel magis, quæ sunt difficiliores ad superandum; ex aetibus enim, qui pro expugnandis difficultatibus efficiuntur, citius, & firmioris radicis habitus efformantur. Quin insuper eos etiam ama, qui occasiones praedictas immittunt tibi; illas namque tantum fugere, & quidem velociter, debes; quæ te in aliquam carnis tentationem inducere queunt.

Tertio. Esto quoque prudens, & cautus in iis virtutibus, quæ damnum tuæ corporali sanitati afferre possunt, uti hæc sunt disciplinis, jejuniis, vigiliis, meditationibus, aliis-

que similibus asperitatibus corpus affligere; nam virtutes istae paulatim, & per earum gradus (ut dicetur inferius) acquirendæ sunt.

In quibusdam tamen virtutibus omnino internis, quales sunt: amare Deum: terrena contemnere: viles nos facere in oculis nostris: propensiones malas, atque peccatum odio habere: patientes, ac mansuetos nos ostendere: omnes (etiamsi magnopere nos offenderint) diligere ex corde, & in cæteris hujusmodi lente incedere, perque gradus ad earum perfectionem descendere necesse non est; sed totas tuas vires debes impendere, ut omnem earum ætum perfectiorem efficias.

Quarto. Singulæ cogitationes, & desideria cordis tui aliud non respiciant, cupiantque, quam vitium illud (cum quo principaliter pugnas) subjugare, virtutemque illi contrariam adipisci. Hoc tuum tibi Cælum sit: hoc terra tua: hoc omnis thesaurus tuus: hoc omnia, ut Domino omnino placere valeas.

Sive ergo manduces, sive jeunes, sive labores, sive quiescas, sive vigiles, sive dormias, sive domi sis, sive extra, sive devotionis operibus vaces, sive manualibus, omnia semper dirige ad supradictum tuum vitium superandum, virtutemque ei oppositam consequendam.

Quinto. Perpetuus, & universalis esto hostis delectationis, quietisque terrenæ; sic enim non nisi infirma confurgent adversus te vitia tua, quæ cuncta pro sua habent radice delectatio-

Stationem: atque ideo, tali radice per nostri ipsorum odium recisa, fortitudinem, viresque suas vitia amittunt.

Quod si aliquo cum vitio, & peculiari delectatione dimicare ex una parte, & ex alia eodem tempore quibusdam terrenis delectationibus vacare volueris, (licet tales delectationes lethales non sint, sed leves culpæ) certamen tuum nihilominus durum erit; atque difficile, imo sanguinolentum, & valde incertum; atque ideo rarissimum ex eo trophæum expectes. Quapropter ne unquam obliviscaris sententiam Domini nostri:

*Qui amat animam suam, perdet eam, & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Joan. 12.*

*Fratres, debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Ad Rom. 5.*

Sexto, atque postremo. Bonum tibi, imo necessarium foret, te prius ab omnibus maculis per generalem Confessionem expiare, ut possis tutus vivere, & moraliter saltem credere, quod gratiam habeas Domini: a quo non solum dona omnia, sed singulæ tuæ victoriæ sunt expectandæ.



## CAPUT XXXIV.

*Quod paulatim virtutes acquirendæ sunt, nempe  
per earundem gradus nos exercendo, at-  
que uni prius, & postea alteri  
operam dando.*

**Q**uamvis verus Christi miles, qui ad perfe-  
ctionis culmen anhelat, nullum profectui  
suo terminum imponere debeat, oportet ni-  
hilominus prudentia cohibeat quosdam spiritus  
fervores; cum enim, præsertim sub initium,  
nimio eos amplectamur affectu, brevi tepe-  
scunt, nosque in cursu medietate sine viribus  
deserunt: Idcirco sciendum etiam tibi est, in-  
ternas quoque virtutes paulatim, & per ipsa-  
rum gradus acquirendas esse. Sic namque,  
quod exiguum est, statim crescit in magnum,  
multoque tempore durat. Hinc in rebus ad-  
versis non semper nos ita exercere debemus,  
ut de iisdem gaudeamus; easque cupiamus,  
nisi prius per inferiores virtutis patientiæ gra-  
dus transierimus.

Itaque neque omnibus, neque multis simul  
virtutibus præcipuo studio debes incumbere:  
sed pro aliquo tempore uni, pro aliquo alteri,  
& sic de reliquis; ita namque firmius, facilius-  
que in anima nostra producitur habitus bonus;  
per iteratum enim unius tantum virtutis exer-  
citium (in qualibet occasione, quæ adsit) promi-  
ptior semper ad illam excurrit memoria nostra:  
subtilior fit intellectus in novis mediis inve-  
nien-

niendis ad eam obtinendam : & minori cum difficultate, quin etiam majori cum affectu inclinatur voluntas nostra, quam faceret, si in multis simul virtutibus occuparetur.

Præterquam quod aëtus circa unam solam virtutem elicit propter conformitatem, quam habent inter se, per hanc uniformem exercitationem, minus laboriosi, & difficili redduntur; unus enim alium sibi similem trahit, ei que auxiliatur; imo propter istam similitudinem magis etiam singuli imprimuntur in nobis, cum sedem cordis expeditam jam, paratamque reperiant ad illos excipiendos, qui recenter producuntur.

Quæ rationes eo validius robur habent, quo certo agnoscitur, quod, quicunque recte una in virtute exercetur, modum quoque disceat se exercendi in cæteris; atque ita, unius augmento, omnes simul etiam crescunt, propter inseparabilem conjunctionem, quam servant inter se; omnes enim virtutes radii sunt ab uno, eodemque lumine promanantes.

## CAPUT XXXV.

*De mediis, quibus obtineuntur virtutes; Et quomodo illis uti debeamus, ut pro aliquo tempore uni soli navemus operam.*

Dilekte fili, ut lucrum virtutum faciamus, præter ea, quæ superius dicta sunt, fortis, & strenuus requiritur animus, delibera-

taque, & firma voluntas, cum proposito infusum per peragendi multa nobis aspera, & adversantia.

Præterea opus est, ut erga virtutes pecuniarium propensio em, affectionem habeamus. Quæ omnia asequemur, si considerabimus, quam gratae, & acceptae sint Deo virtutes, nec non quam illustres, & præstantes in se sint, nobisque utiles, ac necessariæ. Ex illis enim quæcunque nostra perfectio principium, & finem habet.

Fiant igitur mane, diebus singulis, proposita nos exercendi in illis juxta ea, quæ contingent, vel contingere poterunt per diem; quo nos sæpe debemus ad examen vocare, & quærere, utrum prædicta proposita ad actum reduxerimus, nec ne? Quod nobis dein quoque deferuet, ut denuo eadem proposita, quinimo alia primis validiora producamus. Totum hoc autem operabimus principaliter circa virtutem illam, quam eo tempore exercuerimus.

Sanctorum quoque exempla, nec non orationes, & meditationes vitæ, atque passionis Christi Domini, in qualibet spirituali exercitio tam necessariæ, ob virtutem illam itidem præcipue applicentur, circa quam tunc observatum fuerit exercitium nostrum.

Idem pariter fiat de quibusvis aliis occasiōnibus (sicut peculiariter inferius ostendemus) etiamsi diversæ inter se fuerint.

Affuescamus quoque ita actibus bonis, tam internis, quam externis, ut deinde eos possimus

mus efficere prompte adeo, ac facile, sicut cæteros actus naturali nostro affectui conformati eliciebamus. Quo vero actus boni magis adversabuntur malis (ut alibi dictum est) eo citius habitum bonum in nostram animam intromittent.

Sacré Scripturæ sententiæ voce, vel mente convenienter expressæ admirabilem vim habent, ut auxilientur nobis in exercitio nostro. Quapropter multæ ex illis nobis in promptu habendæ sunt circa virtutem, pro qua assequenda laboramus, ut eas per diem proferamus: & præsertim cum contraria passio insurget aduersus nos: exempli gratia, si ad patientiæ adeptionem incubuerimus, sequentes, seu similes dici poterunt:

*Filii, patienter sustinete iram, quæ supervenit.* Bar. 4.

*Patientia pauperum non peribit in finem.* Psal. 9.

*Melior est patiens viro forti: Et qui dominatur animo suo, expugnatorem urbium.* Prov. 16.

*In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Luc. 21.

*Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen.* Ad Heb. 12.

Prædictis sacræ Scripturæ sententiis has quoque, vel consimiles oratiunculas addere, bonum erit:

*Quandone, mi Deus, cor meum patientiae clypeo muniatur?*

*Quando, ut Domino meo rem gratam faciam, tranquillo ego animo suscipiam quamlibet tribulationem?*

*O nimium dilectæ pœnæ, quæ me similem reddunt Domino meo Jesu Christo pro me languenti!*

*Quando mihi concedetur, o vita animæ meæ, quando, ut pro tuo honore, & gloria contentus, & latus inter mille afflictiones, & angustias ego vivam?*

*Me felicem, si ita in medio ignis tribulationum arserit voluntas mea, ut majora semper cupiat sustinere.*

Hisce ergo oratiunculis, aliisque utemur, quæ conformes nostro in virtutibus progressui videbuntur, aptæque magis a devoto, & pio spiritu judicabuntur.

Jaculatoriæ oratiunculæ istæ vocantur, nam sunt veluti jacula, quæ jaciuntur in Cœlum, & magna vi pollent, ut ad virtutem excitent, penetrentque usque ad cor Domini dummodo duobus asscentur, id est: Vera cognitione de placito Domini nostri, ob nostrum virtutum exercitium, & firmo, ardenteque desiderio obtinendi virtutes illas propter hunc solummodo finem, placendi Majestati Divinæ.



## CAPUT XXXVI.

*Quod in virtutum exercitio cum sollicitudine continua progredi oporteat.*

Interea ea , quæ , præter adornata superius , magis utilia , & necessaria sunt , ut virtutes consequamur , & ad finem nobis propositum in Spirituali hoc Certamine perveniamus , præcipua esse videtur Continuatio ; semper namque debemus progredi , alioquin , si , vel aliquantis per solum negligentes consistimus , per talem consistentiam illico retrogredimur .

Ratio autem hujus est , quia , cum nos cessamus a bonis actibus , sequitur necessario , ut ( propter violentam propensionem sensualis appetitus nostri , aliarumque rerum causa , a quibus intrinsece movemur ) procreentur in nobis inordinatæ passiones , quæ , vel destruunt , vel saltem imminuant acquisitas virtutes , præterquam quod privamur multis gratiis , & donis , quæ in progressu a Domino accepissimus .

Quare iter spirituale a terreni viatoris itinere differt ; nam , si in hoc aliquantulum immoretur viator , nihil amittit de via , quam jam transegit ; sed in spirituali itinere , si , vel tantisper , moram faciat , multum amittit .

Adde , quod terreni viatoris defatigatio augetur propter continuum corporis motum ; ubi in via spirituali , quo major itineris pars excurritur , eo major etiam vis acquiritur , atque vigor .

Virtutis enim exercitatione pars inferior, quæ (ob repugnantiam suam) asperam, atque laboriosam reddebat viam, semper evadit magis debilis: parsque superior, in qua virtus residet, magis magisque robatur, & obfir- matur.

Quare, cum in bono progredimur, non nihil difficultatis, & pœnæ (quæ in omnibus operibus invenitur) minui solet; tum secreta quædam jucunditas, quæ cum eadem difficultate, & pœna miscetur, major semper indies efficitur.

Hoc modo de virtute in virtutem immi- grando, majori cum facultate, & delectatione tandem ad perfectionis apicem pervenimus; ubi deinde anima jam perfecta, absque ulla molestia operatur, imo cum consolatione, & & lætitia: quia (victis jam, atque edomitis rebellibus passionibus) omnibus rebus creatis, sibique ipfi superior, feliciter intra cor Altissimi vitam dicit, ibique suaviter laborans, & operans requiescit.

### CAPUT XXXVII.

*Quod fugiendæ non sint occasiones, quæ ad consequendas virtutes sece offerunt; eo vel maxime, quod in virtutum exercitatione semper esse debeamus.*

Dilecte Fili, manifeste nimis tibi ostendi, quod in itinere ad perfectionem tendente semper oporteat progredi absque mora.

Hoc

Hoc ut faciamus, cauti debemus esse, & vigiles, ne occasio aliqua e manibus nostris effugiat, quæ ad virtutes assequendas prodesse potest. Propterea male hoc illi percipiunt, qui, pro omni sua potentia, abesse querunt, cum possunt, a rebus contrariis, quæ ad effectum hunc inservirent.

Quid cupis (ne a consueto nostro discedamus exemplo) patientiæ habitum obtainere? Bonum non est, quod te subtrahas ab hominibus, vel ab actionibus, & cogitationibus illis, quæ ad impatientiam te laceffunt.

Quare neque conversationes quasdam debes devitare, eoquod molestæ tibi sint; sed frequenter communicare, & loqui cum omnibus, etiam tibi gravibus ad ferendum; quinimo semper dispositam, & promptam voluntatem habere debes ad quamcunque rem tolerandam, licet intempestivam, & molestam, quæ accideré possit; aliter quippe faciendo nunquam patientiæ assuesceres.

Ita similiter, cum aliquam operationem fastidis, vel propter ipsam in se, vel propter illum, a quo facienda imponitur: seu etiam, quia te avertat ab alia re, quæ tibi magis placeat: ne idcirco intermittas operationem illam, quamvis inquietus in ea videaris; & putés, te posse bene quiescere, si eam negligas; nunquam enim hoc modo disces pati; nec tua quies vera erit, cum ab animo passionibus expurgato, virtutibusque exornato non oriatur.

Idem tibi dico, fili, de molestis cogitationibus, quæ turbant nonnunquam, & torquent mentem tuam; illæ namque ejiciendæ omnino a te non sunt, quia per dolorer., & tormenta, quibus te cruciant, operantur simul, ut adversa sustinere assuefias.

Qui vero tecum aliter loquitur, potius ad angores, quos pateris, fugiendos te docet, quam ad virtutes consequendas, quas cupis.

Verum quidem est, quod tyro in hac spirituali militia dexteritate, exercitio, & auxilio indiget in prædictis occasionibus: ut caute, modo ad frontem molestia tum se sistat, modo eas fugiat juxta parum, aut nihilum virtutis, & roboris, quod acquirit.

Nullus tamen ita debet terga vertere, & se abdere, ut ab omni contrarietatis occasione avertat; quoniam, etiamsi pro illo tempore lapsui non subjaceret, pro tempore futuro nihilominus majori discrimini foret expositus, & validioribus impatientiæ ieiibus; cum se non obarmaverit, fortisque reddiderit per virtutum oppositarum exercitium.

Sed hæc monita locum non habent in vicio carnis, de quo jam diversimode tractatum est.



## CAPUT XXXVIII.

*Quod gratæ, & charæ nobis esse debeant occa-  
siones omnes decertandi propter virtutum conse-  
cutionem: & illarum vel maxime, quæ  
majores secum afferunt diffi-  
cultates.*

**N**on sum contentus, fili, quod solum occa-  
siones non devites, quæ ob virtutum con-  
secutionem contra te insurgunt: sed cupio in-  
super, ut quandoque eas etiam quæras, tan-  
quam res magni momeati: semperque læto  
animo easdem acceptes, statim ac sese obje-  
ctant; tum etiam, ut gratiores ex iisdem eas  
habeas, quæ sensuali tuæ voluntati magis ad-  
versantur, ac displicant.

Hoc autem (Deo auxiliante) obtinebis, si  
duo mente retinueris.

Primo. Quod prædictæ occasions proportionata, imo necessaria media sint ad virtutes  
assequendas; quapropter, cum virtutes petis  
a Domino, implicite etiam tales petis occasio-  
nes, alioquin inanis omnino esset petitio tua,  
tibique ipsi contradiceres, & Deum tentares.  
Ille enim patientiam, ut plurimum, donare  
non solet absque tribulationibus, sicut nec abs-  
que illusionibus humilitatem.

Hoc vero de reliquis quoque virtutibus di-  
ci potest, quæ etiam per eventus oppositos ac-  
quiruntur: qui eo magis auxilium nobis con-  
ferunt propter hunc eundem effectum: atque  
ideo

ideo nobis gratiōres, & chariores debent esse, quo in se laboriosiores sunt. Aētus enim, quos ān hujuscemodi occasionibus elicimus, magis heroici sunt, ac fortēs, & facilius, citiusque viam nobis referant ad virtutem.

Æstimari autem a te dēbent, imo absque exercitio suo deferendae non sunt etiam minoris momenti occasiones: exempli gratia, asperetus, vel verba quādam contra voluntatem nostram prolata; aētus enim, qui de his fiunt, frequentiores sunt, quamvis minus intensi illis, qui majores inter difficultates producuntur.

Secundo. Hoc idem (de quo superius dīlum est) obtinebis, si mente revolvet id, quod supra etiam tetigi, omnia nimirūm, quæ nobis accidunt, propter beneficium nostrum accidere: ut nos scilicet fructum ab iis percipiamus.

Et licet de aliquibus ex istis, ut defectus nostri, aliaque (de quibus superius locuti sumus) dici nequeat, quod sint a Deo, quia Deus peccatum velle non potest; a Deo nihilominus etiam hæc sunt, quatenus ab eo permittuntur, & non impediuntur, ut fieri per ipsum posset. Afflictiones tamen omnes, & pœnæ, quæ nobis immittuntur, vel propter errores nostros, vel propter aliorum malignitatem, & a Deo, & Dei sunt, nam in istis ipse concurrit: & id, quod nollet fieri propter operis deformitatem, a qua summopere purissimi ejus oculi abhorrent, vult nos

nos pati ob illud virtutis bonum , quod inde recipere possumus , nec non etiam ob alias causas ignotas nobis.

Propterea , cum certissimi simus , Dei voluntatem , & beneplacitum esse , ut quamlibet tribulationem libenter suscipiamus , sive ab alienis , sive a nostris injustis operationibus proveniat : ut dicimus ( ut solent multi ad suam excusandam impatientiam ) quod Deus nolit res male factas , imo eas odio habeat ; nihil aliud est , quam inani prætextu culpam nostram tegere , crucemque , & tribulationem rejicere : cum alioquin affirmare teneamur , Deo placere , ut talia tolerentur a nobis.

Quinimo addo insuper , quod , omnibus una comparatis , Deus plus in nobis diligit patientiam circa illas tribulationes , quæ ab hominum iniquitate derivantur ( præsertim , si tales homines donis , atque beneficiis a nobis affecti sunt ) quam cæteras , vel etiam a gravibus eventibus provenientes ; tum quia in illis , magis quam in istis , superba natura nostra reprimitur ; tum etiam quia nos , illas libenter sustinendo , contentum , atque exaltatum Deum reddimus , dum simul cum ipso cooperamur in re , in qua refulget quam maxime ineffabilis ejus bonitas , & omnipotentia ; quod nihil aliud omnino est , quam ex veneno peccati , & malitiæ pretiosum , atque delicatum fructum trahere virtutis , & boni .

Scito idcirco , fili , quod , ubi Deus intuetur in nobis vivum desiderium vere proficiendi ,

& sedulo ad tam honorificam virtutum acquisitionem incumbendi, statim nobis calicem præparat temptationum prioribus validiorum, & occasionum amariorum, quæ inveniri possunt, ut eum tempore a se designato bibamus. Quare nos tanquam grati erga ejus amorem, nostrum met boni solertes debemus, velatis oculis, cum jucunditate eundem acceptare, totumque usque ad ultimam guttam cum animi securitate, & promptitudine potare. Est etenim medicamentum compositum a manu, quæ errare non potest, confectumque ex ingredientibus tanto utilioribus animæ, quanto sunt in se ipsis amariora.

## CAPUT XXXIX.

*Quomodo diversis occasionibus uti possumus ob unius, ejusdemque virtutis exercitium.*

**D**ilekte Fili, vidimus superius, fructuosius esse exercitium folius virtutis pro aliquo tempore, quam multarum simul: quodque secundum illam moderari debeamus occasiones, quæ contingunt, quamvis diversæ inter se viderentur; attende modo, quo pacto facile possis exequi.

Continget, exempli gratia, eadem die, de actione aliqua licet bona, nos reprehendi: de nobis obmurmurari: optatam gratiam denegari: seu quid aliud nobis non concedi: non paucos male de nobis, absque causa vel minima, suspicari: corporali aliquo dolore nos angere:

**laboriosum negotium nobis committi : obso-**  
**nium non bene conditum apponi : seu alias res**  
**majoris momenti accidere , atque ad toleran-**  
**dum duriores , quibus omnibus misera vita**  
**nostra superabundat : in istorum , & similium**  
**eventuum varietate , etsi diversi virtutum actus**  
**elicí possunt , nihilominus præmonstratam re-**  
**gulam observare cupientes exercebimus nos per**  
**actus omnino conformes virtuti , quam tunc**  
**temporis præ animo habuerimus ; exempli**  
**gratia :**

**Si tempore prædictarum occasionum exer-**  
**citium nostrum fuerit circa patientiam : elicie-**  
**mus actus , quibus nos excitemus ad toleran-**  
**tiam , animique hilaritatem in prædictis even-**  
**tibus ostendendam.**

**Si circa humilitatem fuerit : in quibuscum-**  
**que illis oppositionibus dignos nos malis omni-**  
**bis reputabimus.**

**Si circa obedientiam : prompto , & hilari**  
**animo Domini dexteræ nos subjiciamus , & ob**  
**ejus placitum ( quippe quod sic ipse vult ) ne-**  
**dum creaturis rationalibus , verum etiam in-**  
**animatis , a quibus afflictiones illæ originem**  
**ducunt.**

**Si circa paupertatem ; qualibet parva , aut**  
**magna terræ consolatione cupiamus privari.**

**Si circa charitatem ; amoris actus efficie-**  
**mus , & erga proximum , tanquam erga in-**  
**strumentum boni , quod consequi possumus ,**  
**& erga Deum , tanquam erga præcipuam , at-**  
**que amantissimam causam , a qua procedunt ,**

& permittuntur incommoda ista propter exercitationem, atque spiritualem utilitatem nostram.

Ex hoc autem, quod dicimus circa eventus diversos (qui accidere quotidie possunt) deducitur quoque, quo pacto in unica occasione, seu ægritudinis, seu alterius tribulacionis multum durantis, possimus semper actus producere illius virtutis, circa quam tunc temporis exercitium nostrum versatur.

#### CAPUT XL.

*De tempore, quod in unius virtutis exercitio insumendum est, & de signis, a quibus cognoscere possimus nostrum in spiritualibus progressum.*

Dilekte Fili, tempus, quo in uniuscujusque virtutis exercitio immorari debemus, statuendum a me non est. Hoc enim decernendum est juxta cuiusvis statum, atque indigentiam: juxta profectum, qui fit in via spirituali: nec non etiam juxta judicium illius, qui per eandem viam nos dicit.

Attamen, si prædictis modis, atque cum solertia, vere, & ex corde incumberemus, procul dubio, intra non multas hebdomadas, quam maxime proficeremus.

Signum autem evidens, nos in virtutibus profecisse, hoc est: cum in ariditate: in animi tenebris: in angustiis: atque in spirituallium consolationum subtractione constanter, & firmi-

firmiter in nostris virtutum exercitiis perseveramus.

De hoc manifestum quoque præstabit indicium conflitus, quem a sensuali voluntate patiemur in virtutis actibus eliciendis: quantum enim de robore, & viribus sensuali deficis voluntati, tantum quoque putandum est, nos in virtutibus profecisse. Quare, si nullam contradictionem, & rebellionem in parte sensuali, (præsertim cum ex improviso invadimur) sentimus, manifestum hoc erit indicium, nos perfecte virtutem consecutos fuisse.

Ex quo aetatu nostri, majori cum animi lætitia, & promptitudine coniuncti fuerint, eo magis etiam asserere poterimus, in virtutum exercitio nos profecisse.

Cavendum hoc tamen est: quod nunquam certo debemus credere, nos possidere virtutem, victoresque omnino esse aliquius nostræ passionis, etiam si a multo tempore, & post multas pugnas, ejusdem passionis motus, & stimulos non sentiamus. In hoc namque etiam potuit calliditas, atque operatio dæmonis locum habere, nec non natura nostra deceptionibus, & erroribus valde obnoxia. Propterea vitium multoties illud est, quod, ratione nostræ occultæ superbiæ, virtus putatur præterquam quod, si ad perfectionem respergerimus, ad quam nos Deus vocat (quamvis multum in virtutis via profecissimus) nunquam tamen imaginari nobis debemus, vel in prime vere perfectionis confinia ingressos esse.

**I**decirco, fili, tu, velut bellator novus, & sicut tyro, nunc tamen ad certamen expositus, exercitia tua semper resume (sicut ab initio solebas) quasi nihil antea operatus fuisses.

Moneo autem te, ut potius quæras in virtutibus progredi, quam progressum tuum investigare: quia Deus, solus, & verus cordium scrutator est: & aliquibus talis profectus agnitionem largitur, aliquibus subtrahit, juxta humilitatem, vel superbiam, quam prævidet in eis subsecuturam: tanquam Pater enim amantissimus aliis periculum removet, ne labantur, aliis occasionem præstat, ut in virtutibus exerceantur, & in ipsis ex crescant.

Quare, licet anima nostra ignoret progressum suum, nihilominus, quæ jam incœpit, alacriter prosequi debet; talem enim profectum agnoscat, cum Domino placuerit, ut illum propter bonum suum agnoscat.

## CAPUT XLI.

*Quod cupere non debemus exemptionem a molestiis, quas patienter perferimus: Et de modo nostras gubernandi passiones, ut nobis prodesse possint.*

**C**um aliqua in re, vel etiam acerbissima reperiris, eamque patienti animo sustines, cave ne ob dæmonis, vel amoris tui proprii persuasionem a prædicta re liberari desideres; duo enim damna inde tibi præcipue provenirent.

Unum ex istis est, quod, licet per talem cupiditatem pro eo tempore patientiae bonum non auferetur a te, paulatim nihilominus ad impatientiam disponereris.

Aliud vero ex iisdem est, quod imperfecta tua redderetur patientia, & solum pro illo temporis intervallo compensaretur, quo patareris; ubi econtra, nisi a re illa optasses liberi, sed te omnino in manus Domini tradidisses (etsi revera pro una tantum hora passus essem, imo ad minus etiam tempus) breve illud spatium Dominus tanquam multorum annorum obsequium, & servitutem recognovisset.

Propterea, tam in hoc, quam in reliquis, pro universali istud habeas documentum: ut desideria tua a quocunque alio objecto ita distent, ut semper pure, & simplicissime respiciant verum, atque unicum suum scopum, qui est Dei voluntas. Hoc modo enim praedicta desideria justa, & recta erunt; tuque, in quocunque erunt adverso, non tantum quietus, sed & contentus vives. Nam, cum nihil absque suprema voluntate Domini possit accidere, tu in omnibus illam quaerens, totum id simul etiam habebis, quod cupis, quodque omni tempore contingit.

Istud autem, quod neque de aliorum peccatis, neque de tuis intelligendum est (eo quia Deus peccata non vult) locum habet in quolibet malo poenae, quod, vel a supradictis peccatis, vel aliunde procederet, quamvis poena violenta adeo esset, interioraque ita viscera pe-

netraret, ut, ad cordis profundum pertingens, naturalis vitæ radices aridas redderet; hæc etenim illa Crux est, per quam Deus nonnunquam sibi complacet gratias, atque favores amicis suis charioribus communicare.

Quod autem dico de tolerantia, quam in occasione quacunque debes ostendere, intellige quoad partem illam cuiuslibet afflictionis, quæ in nobis remanet, Deoque placet, ut preferatur a nobis: cum licita jam adhibuerimus media, ut ab ea liberaremur, nec fuerimus liberati.

Quæ media dirigenda pariter sunt juxta divinum beneplacitum, ac voluntatem, quæ nobis talia media concessit ad hoc, ut iisdem utamur, solum, quia sic Deus vult, eique sic placet non autem juxta affectum, & propensionem nostram: nec eo quod amemus, & optemus a rebus molestis liberari cupiditate ardenteriori, quam oporteat: & magis, quam servitum, & beneplacitum Dei requirere videatur:

## CAPUT XLII.

*De modo vim inferendi dæmoni, cum querit decipere nos, per indiscretionem.*

**C**um sagax noster hostis advertit, validis, ordinatisque desideriis nos directe per virtutis viam incedere (qua de causa in suam voluntatem nos non valet inducere per manifestas fallacias) in lucis Angelum immutatur, & fami-

familiaribus cogitationibus, saceræ Scripturæ sententiis, Sanctorumque exemplis nos semper sollicitat, ut imprudenter in perfectionis culmine excurramus, hocque non alio fine operatur, quam, ut nos ad ima trudere possit; idcirco enim impellit nos ad corporis castigationem per disciplinas, abstinentias, cilicia, & hujusmodi afflictiones, mortificationesque, ut vel ad instar quarundam mulierum superbiamus; (eo quod magna operari videamur,) vel, ut aliqua superveniente ægreditudine impotentes ad præstanta bona opera reddamur vel etiam, ut ob nimium laborem, & pœnam fastidiamus, & odio habeamus exercitia spiritualia; atque ita sensim tepidi in bono effecti majori cum aviditate, quam antea, ad terrenas revertamur delectiones. Quod multis evenit, qui, cum præsumptione spiritus, imperium sequentes imprudentis zeli, ubi jam excessere mensuram virtutis propriæ per immoderatas mortificationes exteriores, intra sua ipsa inventa disperierunt, atque in hostium infernarium irrisiōnem inciderunt. Quod certe illis non evenisset, si dicta hucusque bene considerassent, & quod hoc genus pœnarum, seu actuum excruciantium (quamvis laudabile sit, & fructum illis afferat, in quibus corporales vires validæ sunt, nec non spiritus humilitas correspondens) magna nihilominus cum prudētia, & moderamine adhiberi debeat juxta peculiares qualitates, atque naturam cuiuscunq;

Illis autem, qui in hac vitæ asperitate Sanctos æmulari, vel imitari non possunt, aliæ occasiones non defunt, ut eorum vitam imitantur: per multa scilicet, & efficacia desideria, ferventesque orationes anhelando ad coronas insigniorum certaminum pro Christo Jesu: res terrenas, & semetipſos contemnendo: silentio, & solitudini se dedendo: mansuetudinem, humilitatemque cum omnibus exercendo: malum sustinendo: bonumque reddendo cuilibet sibi adversanti: & se demum a quacunque culpa vel minima custodiendo; quæ omnia gratiora Deo sunt, quam exercitia corpus afflagentia, in quibus cōfuso tibi, ut potius moderate, & parce te geras (ut deinde urgenti in necessitate aliquid eis possis reddere) quam, ut pericliteris ea intermittere ob prædictos excessus; puto tamen, te in multorum errorem lapsorum non esse, qui quidem spirituales æstimantur: sed allecti, atque decepti a blandienti natura, diligentes nimium sunt in sanitate propria conservanda; qua de causa tam zelotes, & anxious de ea sese ostendunt, ut, cujuscunque rei vel exiguae causa, illam amittere suspicentur, & pertimescant. Neque aliud inventur, de quo magis cogitent, & libentius loquantur, quam de propriæ vitæ regimine quoad corporalia. Hinc solliciti semper sunt, ut cibos suo potius gustui conformes habeant, quam stomacho: qui ob nimiam commoditatem, & curam debilis multoties efficitur. Quod, cum fiat sub prætextu placendi, & deserviendi melius

melius Deo, nihil aliud est, quam velle simul conjungere absque ulla utilitate, imo cum utriusque damno crudelissimos hostes, spiritum nempe, & corpus; per talem enim, tantamque sollicitudinem multum corpori de sanitate multumque de devotione spiritui semper auffertur.

Quare, quidam modus libere vivendi utilior est cæteris omnibus modis, dummodo se junctus non sit a prudentia illa, de qua superius locutus sum, videlicet expendendi, & considerandi diversas conditiones, & naturas, quæ omnes uni soli regulæ subjacere non possunt.

Addo insuper, quod nedum in rebus exterioribus, verum etiam in adipiscendis virtutibus interioribus aliqua cum moderatione incedendum est, sicuti prius quoque ostendi, cum dixi, virtutes esse gradatim acquirendas.

## CAPUT XLIII.

*Quam potens in nobis sit mala nostra propensio, nec non dæmonis incitatio, ut ad judicandum de nostro proximo nos inducat; Etdem de modo iisdem resistendi.*

**E**x prædicto vitio nostræ propriæ aestimatis, atque honoris aliud oritur, a quo pergrave nobis damnum afferri solet; estque vitium hoc judicium temerarium; quod de proximo nostro inferimus, ex quo provenit, ut illum vilem putemus, contemnamus, & asper-

aspernemur. Quod vitium, sicut a mala propensione, & superbia nostra originem dicit, ita ab eadem libenter fovetur, atque nutritur, eo vel maxime, quod ipsa simul cum illo augetur, complacentiam, & fallacias blande, insensibliterque instillando. Absque ulla enim advertentia tanto magis attolli præsumimus, quanto magis in opinione nostra alios deprimitus, arbitrantes nos longe ab illis imperfectionibus abesse, quas credimus in cæteris inveniri.

Sagax autem diabolus, qui in nobis optime agnoscit pessimam hanc animi propensionem, vigilat omni tempore, ut oculos nostros aperiat; apertosque detineat ad inspicendos, examinandos, exaggerandosque aliorum errores.

Neque sibi imaginantur, vel capiunt negligentes homines, quam magna operetur, & molitur communis hostis, ut in mentibus nostris leves aliorum defectus imprimat, cum nequit graves.

Propterea, si hostis infernalis vigil est ad damna tua, tu quoque esto vigil, fili, ne injus laqueos incidas. Atque ideo, statim ac tibi ostendit errorem aliquem proximi tui, protinus mentem ab illo abducas. Quod si ad illum judicandum te moveri præsenseris, ne tale judicium approximari permittas, attentoque animo cogita, hanc facultatem datam tibi non suisse, ut in judicio ea discutias, quæ ad tuum proximum spectant; imo, etiamsi facultatem

tatem istam haberet, recte judicare adhuc non posses, cum innumeris passionibus irretiaris, & nimis pronus sis, etiam absque justa causa, ad male de alio cogitandum.

Ut efficax nihilominus tibi remedium de hoc praebem, moneo te, fili, ut mens tua in considerandis cordis tui miseriis occupetur; quotidie namque agnosces, tot reperiri in te defectus emendandos, observandosque, ut tempus ullum tibi superesse non possit ad facta aliena dijudicanda.

Præterquam quod tali tu vacans exercitio, ut opus est, semper magis, magisque interiorem oculum tuum expurgabis a malis illis humoribus, a quibus pestiferum istud vitium procedit.

Scito autem, fili, quando de aliquo errore fratris tui malam in te creas opinionem, signum evidentissimum esse, quod aliqua saltem radix ejusdem mali reperiatur in corde tuo, a quo, secundum dispositionem, quam interius habet, omne objectum sibi simile intus recipitur.

Quapropter, cum accidit, ut alii de errore aliquo judicium ferant, iratus in temetipfo, ac si esses de eo culpabilis, dic intra animam tuam: *Quomodo miserrimus ego inter omnes, qui in graviores longe errores protabor, in iisque detineor, caput attollam; ut cernam, iudicemque levissimos cæterorum defectus?*

Itaque jacula, quæ adversus alios vibrata feriebant te ipsum, contra te jam ejacu-

lata

lata effectum præstabunt tuis vulneribus fælutarem.

Quod si admissus error pateat, & manifestus videatur, eum nihilominus pietatis affectu ductus excusa: & cogita, quod in fratre tuo virtutes absconditæ inveniantur, in quarum cautelam permittit Deus illum errare; vel etiam, quod solum ad tempus defectum illum habeat, ut viliorem se faciat in oculis suis, utque ex reliquorum hominum contemptu fructum metat humilitatis, pro qua gratior Deo fiat: ut lucrum ipsius majus reddatur amissionem.

Si vero peccatum non solum manifestum sit, sed etiam grave: tum peccator cor induratum habere ostendat, subito ad terribilia Dei judicia advola, in quibus cernes, homines ante scelerissimos ad maximam postea sanctitatem pervenisse; ex adverso autem nos a sublimiori statu perfectionis (ad quam se elatos putabant) in miserabile præcipitum corruisse.

Quare time, fili, & de te, rebusque tuis magis quam de reliquis contremisce.

Esto item certus, quod totum illud gaudium, ac delectatio, qua frueris, ratione proximi tui, Spiritus sancti sit effectus: tum quod omnis contemptus, judicium temerarium, seu amaritudo contra ipsummet proximum a nostra malitia, & diabolica persuasione procedat.

Hinc, si aliqua opinio mala propter nonnullorum imperfectionem progerminaret in te,  
ne

ne quiescas unquam, vel somnum oculis tuis concedas, quo usque illam totis tuis viribus a corde tuo eradicaveris.

## CAPUT XLIV.

*De Oratione.*

**D**ilecte fili, si dissidentia de nobis, confidentia in Deum, & exercitium (ut demonstratum hucusque est) tam necessaria sunt in hoc Spirituali Certamine, super cætera omnia Oratio requiritur; ista enim quarta res est, seu quartum armorum genus superius propositum, quo non solum supradicta bona consequi possumus, sed quæcunque alia a Domino obtinere.

Ratio autem est, quia Oratio est instrumentum ad recipiendas gratias omnes, quæ a Divino bonitatis, atque amoris fonte supra nos pluant.

Per Orationem, si bene utaris, ensis in Domini manu ponetur, ut pro te ipse decertet.

Ut vero ipsa recte utaris, opus est, ut vel habeas in te, vel saltem habere studeas, quæ subsequuntur; nimirum:

**P**rimo. Fac, ut vivat semper in corde tuo desiderium fervens inserviendi in quacunque re Majestati Divinæ, prout magis ei placuerit.

Ut autem in prædictis desideriis accendaris, attente, & rite hæc meditare: nempe.

Deum

Deum propter admirabiles excellentias suas, bonitatem scilicet, Majestatem, sapientiam, pulchritudinem, cæterasque perfectiones suas infinitas, omnium decore, & obsequio dignissimum esse.

Deinde puta, ipsummet Deum pœnas sustinuisse, ut te juvaret; ac tres supra triginta annos laborasse: fœtidisque tuis vulneribus, malignitate infectis attulisse medicamen, & sanitatem, non oleo, vino, lacerisque fasciis, & pannis, sed liquore pretiosissimo, qui exivit e sanctissimis venis suis; imo & carne sua purissima, quæ per flagella, spinas, clavosque discissa est.

Contemplare insuper, quam utile, atque necessarium fuerit hoc beneficium; per illud enim dominium nostrum ipsorum recipimus: dæmone superiores efficimur, ac filii Dei nominamur, & sumus.

Secundo. Attendere debes, ut generosa fiducia, & confidentia in Dominum inveniatur in te: quod scilicet concessurus tibi sit, quidquid ad ejus obsequium, tuumque bonum, & salutem necessarium est.

Sancta hæc fiducia, & confidentia sunt, vas, quod repletur a Domino thesauris gratiæ suæ; quare, quo majus vas istud est, magisque capax; ditior quoque, & pretiosius reveretur ad finum nostrum Oratio nostra.

Quomodo enim poterit omnipotens Deus, qui immutabilis est, participes nos non redere donorum suorum, si ipsemet jussit nobis,  
ut

ut ea petamus suumque nobis promisit Spiritum, si istum cum fiducia, & perseverantia quæsierimus?

Tertio. Stude diligentissime, ut cum nulla alia intentione ad Orationem accedas, quam ut Divinam voluntatem exequaris, neglecta tua; & hoc perage, si aliquid petis, sive illud obtineas, quod petis, sive non obtineas; ita ut propter hoc tantum ad Orationem movearis: quia Deus pariter illud vult; nec propter aliud finem exaudiri cupias, quameo quia Deus pariter illud vult, atque ita ipsi arridet. Denique tota intentio tua sita in hoc esse debet, ut voluntatem tuam conformem omnino cum divina reddas; non autem ut divinam voluntatem quæras ad tuam infletere, & inclinare.

Hoc autem facies, fili, quia, cum ab amore proprio tua voluntas infecta sit, saepe errat, nescitque quid poscat; ubi e contra divina (eo quod cum ineffabili bonitate semper conjuncta sit) errare non potest. Quapropter divina voluntas regula, & Regina cæterarum omnium est voluntatum; mereturque, ac vult, ut quilibet ex aliis, suo proprio placito derelicto, sibi soli, tanquam superiori, obediatur.

Quare postulandæ semper sunt res conformes Divinæ voluntati, & beneplacito; unde ambigens tu, an res aliqua talis sit, sub conditione illam exposce, nempe, quod illam velis, dummodo voluntas Domini fit, ut illam habeas.

Res autem, quas certo scis esse Domino gratias, cuiusmodi sunt virtutes, petes potius, ut eidem satisfacias, atque deservias, quam propter aliam causam, aut finem, licet spiritualem.

Quarto. Orationem adire debes talibus associatus operibus, quæ petitioni tuæ correspondeant; post orationem vero studeas, opus est, ut dispositum ad gratiam, virtutemque (quam cupis) te efficias.

Orationis enim exercitium ita coniunctum esse debet cum exercitio subjugandi nos ipsos, ut unum ad aliud consequi per gyrum debeat: alioquin petere a Deo virtutem aliquam, & deinde non laborare, ut eam assequamur, esset potius Deum irritare, quam tales virtutem cupere, vel inquirere.

Quinto. Fac, ut gratiarum actio pro acceptis beneficiis petitiones tuas semper præcedat, hoc, vel simili modo:

*Domine mi, qui propter infinitam bonitatem tuam me creasti, me redemisti, & toties ab inimicorum meorum manibus me liberasti, mihi modo succurre; & quod enixe nunc posculo, quæso, mihi concede, quamvis ubique adversus te rebellis fuerim, & ingratus.*

Quod si peculiarem aliquam virtutem peturus es, & ad manus habes rem illi contrariam, ut in illa virtute te exerceas, memento semper, ut gratias rependas Domino pro occasione, quæ tibi ab ipso concessa est. Magnum enim beneficium, & gratia Domini ipsa est.

**Sexto.** Quoniam oratio virtutem, & potentiam suam, ut trahat Deum ad desideria nostra, habet ex naturali ipsius Dei bonitate, & misericordia: ex meritis vitae, & passionis Filii ejus unigeniti nec non ex promissione nobis ab eo facta exaudiendi nos, attendere debes, ut in petitione tua, una, vel plures ex hisce particulis inveniantur:

*Mi Deus, dona mihi, quæso, hanc gratiam propter summam pietatem, & misericordiam tuam. Merita dilecti Filii tui pro hac obtainenda modo valeant apud te, mihique illud impetrant, quod te humillime, & ex toto animo flagito. Responde, mi Domine, miserationum, & misericordiarum tuarum, & inclina cures tuas ad preces meas.*

Altera vero vice gratias petes per merita dulcissimæ Matris nostræ Mariae virginis, alio cumque Sanctorum, qui multum valent apud Deum, multisque ab eo honoribus afficiuntur, eo sordi ipsi quoque honorem in hac vita imperuti fuerint majestati Divinæ.

**Septimo.** Ut in oratione perseveres, necesse est; humilis enim perseverantia Deum invincibilem vincit. Et vere, si importuna vi duæ perseverantia judicem omni plebani iniestate ad petitiones suas potuit inclinar ut *Lucæ 18.* legitur, quomodo vim non etiam habebit flectendi ad preces nostras Deum, qui est omnium bonorum plenitudo.

Quapropter, quamvis statim post orationem te exaudire nolle videatur: imo, licet contraria

signa ostendat, prosequere nihilominus orationem tuam, & perseverans, constantem, vividamque confidentiam tuam habeas de ipsius auxilio; siquidem non solum in ipso nunquam deficiunt, sed semper mensura infinita superabundant ea omnia, quæ necessaria sunt ad gratias quibuscunque hominibus liberalissime concedendas.

Idecirco, si a te defectus non provenerit, securus esto, quod tu semper accepturus sis totum id, quod petieris, vel saltem aliquid aliud magis utile, seu etiam utrumque simul.

Quinimo addo, si a Deo repelli quandoque videaris, tanto magis in oculis tuis te humilia, cogitansque demerita, & peccata tua, mente ad Divinam misericordiam semper intenta, magis, magisque in illam confide. Quo nimirum constantior, & generosior fuerit confidentia tua in Deum, ubi te bello hostes invaserint, eo magis etiam grata erit Deo nostro.

Gratias tandem reddes Domino, ipsumque bonum, sapientem, amantemque non minus habebis, ubi tibi illa, quæ petieris, denegabit, quam ubi eadem concedet.

Itaque constans semper, & lætus in quovis eventu, bono, aut malo, perseverare debes, & sapientiæ, providentiæque divinæ in omnibus humillime te committere, ac subdere.



## CAPUT XLV.

*Quid sit oratio mentalis.*

**O**ratio mentalis est elevatio mentis in Deum cum actuali, vel virtuali petitione illius, quod optamus.

Actualis petitio fit, cum verbis mentalibus exposcitur gratia, his similibus modis :

*Domine mi amantissime, dona mihi hanc gratiam propter honorem, & gloriam nominis tui Seu,*

*Domine Deus meus, firmiter credo, quod hoc tibi placeat, & quod gloria tua exigat, ut a te gratiam istam exposcam, atque obtineam. Adimplatur ergo in me voluntas, & beneplacitum tuum.*

Cum vero te hostes invadent, ora hoc modo : *Accurre cito, mi Domine, in auxilium meum, ne adversariis meis cedam : Seu,*

*Respice summe Creator imbecillitatem, & fragilitatem creature tuæ, quam pretioso tua sanguine redemisti a tot hostium phalangibus oppugnatam : Vel,*

*Adesto Domine succurre Domine, neque destituas in hoc certamine debilitatem, & infirmas vires meas.*

Durante autem certamine persevera tu quoque in hoc orandi modo, viriliter semper, ac magnanimitter resistens hostibus tuis.

Ubi vero certaminis vis, & asperitas cessit, conversus ad Deum siste coram illo hostem, qui

*tecum in confitu congressus est, tuamque una cum ipso imbecillitatem, dicens:*

*Ecce, Domine, creatura tua, quæ opus manuum tuarum est, tuoque sanguine redempta. Ecce adversarius tuus, ejusdem creaturæ, qui ipsam tibi quærerit surripere, & deglutire.*

*Ad te confugio, Domine, in Te solo confido, qui omnipotens, & bonus es, meamque impotentiam viles, imo promptitudinem cernis ad me illi voluntarie subjiciendum, nisi mihi præstos sit auxilium tuum: auxiliare mihi igitur oſpes, & fortitudo animæ meæ.*

*Virtualis autem petitio illa dicitur, cum mens ob aliquam gratiam impetrandam elevatur in Deum, eique solum aperitur, & exponitur necessitas absque aliarum rerum discursu, vel consideratione exempli gratia.*

*Cum mentem ad Deum attollo, & coram illo impotentiam meam agnosco, ut a malo me custodiam, arque ut bonum aliquid opereretur accensi cupiditate ei humiliter inserviendo exspectansque cum fiducia auxilium ejus, iterum, atque iterum respicio ad ipsum Dominum.*

*Hujusmodi cognitio, desiderium, seu fiducia ante Deum posita, est Oratio, quæ actualiter petit illud, cuius indigeo. Quare, quo prædicta cognitio erit perfectior, & purior, desiderium ardentius, & fiducia magis vivax, eo etiam efficacius poscet.*

Est & aliud genus petitonis virtualis priori brevioris, & quæ fit per simplicem intuitum mentis in Deum, ut nobis succurrat qui intuitus nihil aliud est, quam tacitum Deo monitum, desiderium, atque petitio illius gratiæ, quam antea postulavimus.

Attende autem, fili, ut genus hoc orationis bene percipias, ipsumque frequens, & familiare habeas quia (ut experientia tibi ostendet) telum est, quod facile, in omni loco, quo cunque tempore, & adversus quælibet pericula præ tuis manibus haberi potest, majorisque longe virtutis est, & adjumenti, quam tibi explicare unquam valeam.

## CAPUT XLVI.

*De Oratione per modum meditationis.*

**D**ilekte fili, si pro aliquo spatio temporis orare volueris, exempli gratia per medium, vel integrum horam, seu etiam ad longius tempus, adde orationi tuæ meditationem de vita, atque passione Jesu Christi, accommodans semper virtuti (quam cupis) ejusdem Christi actiones, exempli gratia.

Si patientiæ virtutem habere cupias, sume tibi aliquid ad meditandum de mysterio flagellationis ejus: scilicet.

Primo: Meditare, quomodo, post sententiam a Pilato prolatam, cum clamoribus, vociferationibus, & opprobriis raptus fuerit Do-

minus Deus tuus per iniquos satellites ad locum pro flagellatione deputatum.

Secundo. Quanta rabie vestibus suis fuerit Dominus a sævissimis illis canibus spoliatus, & quomodo purissimum corpus ejus, post spoliationem, omnium ludibriorum expositum remanserit.

Tertio. Qua feritate innocentes ejus manus duris funibus devinctæ fuerint, & ad columnam ligatæ.

Quarto. Quali barbarie ipsiusmet corpus discissum, & dilaceratum fuerit per flagella, & quomodo rivi sanguinis divini fluxerint usque ad terram.

Quinto. Quomodo per iteratos iecus, ac percussionses una, eademque in corporis parte magis semper exacerbatae fuerint plagæ jam factæ.

Itaque ubi hæc, vel similia puncta ad patientiam consequendam tibi proposueris meditanda, sensum tuum prius etiam appones, ut intierius, & profundius sentias in te amarissimos dolores, & pœnas, quas in omnibus sanctissimi sui corporis partibus Dominus tuus amantissimus sustinebat.

Hinc ad sacratissimam Jesu Christi animam te vertens, contemplare, quoad potes, patientiam, mansuetudinemque, quibus tot afflictiones tolerabat, semper cupiens majora atque atrociora pati supplicia pro sui Patris cælestis honore, atque pro beneficio nostro.

Inspice deinde Christum Dominum e Crucem pendentem, flagrantemque efficacissima cupiditate

piditate tolerandi dolorem tuum. Cerne, quomodo ad suum æternum Patrem conversus oret pro te, ut tibi gratiam dignetur concedere, mediante qua ferre patienter possis Crucem, seu tribulationem, a qua tunc temporis excruciaris, & simul cum illa, quamlibet aliam.

Hinc voluntatem tuam frequenter inclinans, ad omnia patienti animo preferenda, mentem postea ad divinum Patrem converte, eique gratias referens, eo quod propter nimiam charitatem Unigenitum suum in mundum miserit ad tot pœnas acerbissimas subeundas, atque ad orandum pro te. Post quæ ipsum quoque rogabis, ut virtutem patientie propter opera, precesque Filii sui unigeniti tibi concedere non dedignetur.

## CAPUT XLVII.

*De altero modo orandi per meditationem.*

**A**ltero item modo orare poteris, ac meditari, fili mi: Ubi attente consideraveris Jesu Christi afflictiones, menteque tua contemplatus fueris, promptitudinem, qua easdem, afflictiones Christus Dominus sustinere solebat, ex ejus dolorum, atque patientiae magnitudine ad duas alias meditationes gradum facies: nempe.

Primo. Christi domini merita contemnare.

Secundo. Gaudium, & gloriam, quam æternus Pater habuit ob perfectam patientis Filii sui obedientiam.

Quas duas meditationes offerens Majestati  
divinæ, efflagitabis ab ea, ut propter talem,  
tantumque virtutem velit tibi gratiam illam con-  
cedere, quam desideras.

Hac autem meditatione uti poteris, non so-  
lum in meditatione cuiuslibet mysterii passionis  
Domini verum etiem cujuscunque actus pecu-  
liaris, sive intrinseci, sive extrafeci, quem ipse  
Christus in eo mysterio efficiebat.

## CAPUT XLVIII.

*De modo orando medio Mariæ Virginis.*

Præter supradictos orandi, & meditandi mo-  
dos alias quoque sese offert, nimirum me-  
dio gloriosissimæ Matris, semperque Virginis  
Mariæ. Sic autem te gerere poteris

Primo, mentem tuam in æternum Patrem  
intendes deinde in dulcem, dilectumque Fi-  
lium ejus unigenitum Jesum Christum. postre-  
mo in ipsam, amantissimam Matrem, Virginem-  
que Mariam.

In Deum Patrem cogitationem tuam inten-  
dens, duo considera :

Primo. Delectationem, quam ipse ab æter-  
no percipiebat de Virgine Maria præsente men-  
ti suæ, priusquam ex nihilo illam traheret, at-  
que crearet.

Secundo. Admirabiles virtutes, & aetio-  
nes ejusdem Virginis, postquam mundo pro-  
ducta est.

Delectationem prædictam sic meditaberis.

Attol-

Attolles prius cogitationem tuam supra omnem tempus, & supra omnem creaturam, tum per res creatas penetrans in ipsammet æternitatem, & Dei mentem, delicias considerabis, quibus divina Majestas in se ipsa propter Mariam Virginem fruebatur. Ubi vero per istas considerationes ad Deum ascenderis: subito constanter, fiducialiterque ob predictas delectationes postula gratiam, atque robur ad omnes tuos adversarios subjugandos sed præsertim vitium illud, quod tecum, illo tempore, decertaverit.

Progredere postea, & contemplare tantas, ac tam præcipuas virtutes, & actiones sanctissimæ Virginis, easque Deo offerens, modo omnes simul, modo aliquas tantum ex illis, ipsum humiliter roga, ut propter infinitam misericordiam suam, nec non propter tantæ Virginis virtutes, & merita tibi largiri velit id, quo eges.

In Filium vero Jesum Christum mentem erigens, ad ipsius memoriam revoca Virgineum gremium, in quo novem mensibus fuit: tum reverentiam, qua, statim ac natus est, eum Virgo dulcissima adoravit, recognovit, & coluit, verum Deum simul, & verum hominem, nec non verum Filium & Creatorem suum. Post hæc ejusdem quoque sanctissimi Filii memoriæ objice piissimos Matris suæ oculos, qui ipsum viderunt inter angustias: & magnopere eidem compassi sunt: brachia item, quæ ipsum amplecta fuerunt mellea oscula, quæ illi dedit: lac, quo eundem nutriit: laboresque, atque dolores, quos in vita, & morte ejus perpessa est.

Pro

Pro his, similibusque sanctissimæ Virginis aetibus dulcem amantissimo Filio vim inferes, ut te petentem exaudiat.

Postremo. Mentem tuam ad Virginem ipsam pariter convertes, eique ad memoriam etiam rediges, quomodo ab æterna providentia, & misericordia selecta fuerit inter tot mulieres pro Matre gratiæ, & pietatis, nec non pro Advocata, & mediatrix nostra. Propterea post Deum, & ejus benedictum Filium, apud nullum alium, tutiorem recursum, atque præsidium habemus, quam apud illam.

Coram ipsa Matre clementissima sistes insuper infallibilem illam veritatem, quæ de ea scripta est, atque ob tot, tantosque effectus admirabiles manifestissime agnoscitur, ac decantatur: videlicet, quod nunquam invocata cum fiducia ab aliquo fuerit, quin ei benignissime responderit per gratias suas, suoque patrocinio atque auxilio adfuerit.

Ultimo ante ipsammet expones filii sui unigeniti pœnas, quas pro salute nostra sustinuit: illam orans, ut hanc ab eo tibi impetrat gratiam, quod tales dolores, ac pœnæ illum omnino effetum habeant, (& quidem ad solum Domini honorem, & gloriam) propter quem Redemptor noster amantissimus tanto cum sui dedecore, & ignomina voluit pati.



• CAPUT XLIX.

*De quibusdam considerationibus, ut cum fiducia ad Mariam Virginem configiamus.*

**S**i cupis configere cum fiducia in qualibet necessitate tua ad Virginem Mariam, per infra notatas considerationes hoc acquirere optimè poteris.

Primo. Bene consideres, fili, id, quod experientia quoque novissime potes, nempe a vasis omnibus (in quibus muscus antea, vel aliud pretiosum fuit aroma) odorem aromaticum conservari, eo vel magis, quo majori spatio praedicta aromata ibi fuerint; tum multo fragrantius redolere vasa odoramentis, si fortasse non nihil aromatum in iisdem remanserit: & nihilominus, tam museum, quam alium quemcunque liquorem, etsi pretiosissimum, limitatæ, atque finitæ virtutis esse. Supradictum totum evenire quoque conspicies in eo, qui magno fuit proximus igni; diu namque (licet ab igne illo recedat) calorem in se conservat.

Ubi autem praedicta omnia mente revolvris, considerans, qua charitatis flamma, pietatisque; & misericordiae ardoribus Mariæ æstuent viscera, quæ ad novem usque menses in virgineo suo utero clausit, unitumque sibi semper habet Filium suum, qui ipsamet charitas, pietas & misericordia est, & quidem non finitæ, & limitatæ virtutis, sicut aromata, & ignis, sed illimitatæ, & infinitæ: considerans inquam

inquam hæc omnia, dic, & confidenter repe-  
te in corde tuo: Si ille, qui fuit igni proxi-  
mus, calorem retinet, & vas, in quo fuit aro-  
ma, tam diu servat odorem; quantum chari-  
tatis ignem, & miserationum odoramenta in se  
retinuisse, putandum est, Mariam Virginem,  
eiusque viscera sacratissima? Si hoc vero ita  
est: quot gratias, quot favores, quot auxilia  
miseri omnes (inter quos & ego) confugientes  
ad Virginem hanc undequaque æstuantem, fla-  
grantemque misericordia non recipient, & eo  
magis, quo frequentius, & majori cum fiducia  
ad eam approximabunt?

Secundo. Hoc scias oportet, quod nulla  
unquam creatura adeo Jefum Christum dilexe-  
rit, aut adeo conformis fuerit voluntati divinæ,  
sicut Mater, & Virgo sacratissima.

Quod si hoc ex una parte fateri tenemur, &  
ex alia etiam ignorare non possumus, a Dei Fi-  
lio (qui sanguinem, vitamque profudit pro pec-  
catoribus) matrem suam dulcissimam in Matrem,  
& Advocatam nostram clementissimam adopta-  
tam fuisse, ut auxilium nobis præbeat: utque  
post ipsum immediate nostræ salutis sit via, quo-  
modo inobediens divino Filio suo esse poterit,  
atque rebellis? qua voluntate nos deseret con-  
fugientes se? seu, ut melius dicam, quid ab  
ea non sperabimus? quid per eam non obtine-  
bimus?

Accurre, accurre igitur, fili dilectissime,  
magna cum fiducia in qualibet necessitate tua ad  
benignissimam Matrem nostram Mariam, quo-  
niam

niam dives vere est hæc confidentia , tutumque pro singulis opportunitatibus ad ipsam configere , cum infinitas impetrare nobis gratias , atque misericordias possit.

## CAPUT L.

*De modo meditandi , & orandi media Angelorum , & Beatorum intercessione.*

**D**ilecte Fili , ut auxilium , atque favorem Angelorum , & Beatorum in hoc orandi exercitio obtineas , duobus uteris mediis.

**P**rimo. Mentem tuam ad æternum Patrem convertes , & coram illo sistes amorem , honoremque , & laudes , quibus ab universa Cœlorum aura extollitur , & decoratur. Item labores , ærumnas , & pœnas a Sanctis in terris pro ipsius Dei amore perpellas illi offeres. Tum deinde etiam , quidquid tibi opus est , per hæc omnia flagitabis a Majestate divina.

**S**ecundo. Ad ipsos beatos spiritus ( tanquam ad eos , qui non solum perfectionem nostram desiderant , verum etiam , ut in loco propriis locis excelsiori nos collocemur ) configies , & ab iisdem robur , auxiliumque postulabis adversus vitia omnia , omnesque hostes infernales ; & demum ipsosmet enixe rogabis , ut in mortis articulo ad defensionem tuam præsto sint.

Contemplare nonnunquam etiam multas , magnasque gratias , quibus a supremo rerum omnium Creatore Angeli , & Sancti omnes donati sunt ; atque hæc meditans , vividum amo-

ris lætitiæque affectum in te excitare erga illos  
contende, eo quod tot gratiis, & favoribus à  
Domino ditati sint.

Non minus enim lætari debes de eorum dō-  
nis, quam, si tibi ipsi concessa forent.

Imo gaudere multo magis debes, quod illis,  
& non tibi prædicta dona concessa sint: cum  
placuerit Domino, ut ipsi illa haberent. Qua-  
re gratias, laudesque pro eis tu quoque beni-  
gnissimo perages donatori.

Ut autem hoc exercitium ordinatim, & fa-  
cile facere possis, divides Beatorum choros in  
singulos hebdomadæ dies, hoc modo:

Die Dominico aliquid de novem Angelorum  
choris contemplaberis.

Die Lunæ de S. Joanne Baptista.

Die Martis de SS. Patriarchis, & Prophetis.

Die Mercurii de SS. Apostolis.

Die Jovis de SS. Martyribus.

Die Veneris de SS. Pontificibus, Doctori-  
bus, & Confessoribus.

Die Sabbati de Virginibus, cæterisque mu-  
lieribus beatis.

Nullum tamen diem prætereras, quo ad Ma-  
riam Virginem, Sanctorum omnium Reginam:  
ad Angelum tuum Custodem: ad sanctum Ar-  
changelum Michaelem, tuosque Advocatos non  
confugias, & de illis aliquid mediteris.

Tum singulis diebus Mariam Virginem, &  
eius Filium, cœlestemque ejusdem Patrem ro-  
ga: ut tibi pro mediatore, atque Patrono con-  
cedant sanctum Patriarcham Joseph Virginis  
spon-

sponsum, & glorioſſimos ejus parentes, nostri amantifſimos, Joachim nempe, & Annam. Quæ ubi feceris, ad Sanctos iſtos accurres cum precibus, & fiducia, illosque humillime deprecaberis, ut ſub tutelam, ac Patrocinium ſuum recipere te dignentur.

Multa narrantur mirabilia de hisce Sanctis: multosque favores & gratias accepiffe legimus illos omnes, qui, vel debito eos honore coluerunt, vel faltem confidenter ad ipsos confugerunt, non ſolum in necessitatibus spiritualibus, ſed & in corporalibus, præfertim autem Sancti iſti devotos ſuos ad recte orandum, & meditandum edocere, & instruere confueverunt.

Et vere, ſi reliquos Sanctos tanti Deus facit, atque dona per eorum intercessionem hominibus elargitur (nam in carne viventes ei obedientiam præſtiterunt) quanti credendum eſt ab eodem aſtimari, & apud ipsum poſſe porrectas ſibi preces per humillimos hosce Sanctos, quos (eo quod ſemper ſe ita illi ſubjecerunt) adeo dillexit? Dominus enim ſic in terris coli voluit Divum Joseph, ut ſemet ei ſubjecerit, atque obediverit tanquam Patri: beatiffi nos vero ſponsos Joachim, & Annam ita amavit, ut hanc in digniſſimam Matrem, & illum in Patrem non imparem Genetrici ſuæ ſanctiſſimæ concupivevit, & destinaverit.



## CAPUT LI.

*De meditatione passionis Jesu Christi, & quomodo plures ex ea affectus excerpti possint.*

**D**ilecte fili, quia illa, quæ de passione Domini nostri superius dixi, inserviunt, ut meditemur, & oremus per petitiones, subdo modo, quo pacto varios, piosque affectus ex ipsamet passione Domini colligere possimus.

Itaque si Christi Domini Crucifixionem meditari volueris, præter alia puncta, hæc de divino illo mysterio contemplaberis.

**P**rimo. Quomodo Christus Jesus (qui est omnium Dominus) supra Calvariæ montem a crudelibus Judæorum manibus fuerit spoliatus: & quanta feritate fuerit lacerata ejus caro, quæ cum vestibus ob acceptas percussionses, & vulnera conglutinata erat.

**S**ecundo. Quomodo a supremi Regis capite spinea corona avulsa sit: & quot vulnera cœli terræque Domino recenter inflictæ fuerint, cum corona, altera vice, in capite ejus reposita est.

**T**ertio. Quomodo ponderosissimi mallei, & clavorum acutissimorum ictibus in Crucis patibulo confixus fuerit.

**Q**uarto. Quomodo Christi membra ad Crucis foramina tanta violentia attracta fuerint, ut omnia e proprio loco resoluta, singillatim potuerint numerari.

**Q**uinto. Quomodo, pendente Domino in ligno Crucis, nec aliud habente sustentaculum

præter clavos, latiora, & acerbiora fuerint vulnera sacratissima ob pondus corporis deorsum tendentis cum dolore inenarrabili Jesu Christi.

Ubi vero ex his, aliisque similibus meditationibus, pietatis, & amoris affectum erga Christum Dominum in te excitare volueris, studeas inter meditandum, ut e prima cognitione per contemplationem acquisita ad altiorem ascendas, scilicet infinitæ bonitatis, misericordiæ Domini, amorisque ejus erga te; maxime vero, eo quod tot, ac tanta supplicia pro te pati dignatus sit. Quo enim in te augetur cognitio ista, eo magis quoque tuus in illum amor excrescet.

Post prædictam autem cognitionem bonitatis, & infiniti amoris Dei tui facillime actum contritionis elicere poteris, atque dolorem, eo quod toties, & tanto cum ingrati animi vitio Deum offenderis, qui propter iniquitates tuas immanniter adeo discerptus est, atque a tot barbaris cruciatibus laniatus.

Ut spem deinde in te excites, considera, quod in statu isto tantæ calamitatis & miseriæ nulla alia de causa esse voluerit tam magnus, ac potens Dominus, quam, ut peccatum extingueret, teque a dæmonis laqueis, nempe e peccatis tuis particularibus liberaret: quamque, ut propitium tibi redderet æternum Patrem, atque confidentiam in te pareret confugiendi ad ipsum in quacunque tua necessitate.

Ut ad gaudium postea exurgas, considera complacentiam, & jubilationem, quam tota Tri-

nitas sanctissima; quam Virgo Maria, quam Ecclesia triumphans, atque militans exinde habuit, & habet.

Ut ad odium vero movearis peccatorum tuorum, omnia puncta, quæ metitaberis, taliter accommoda tibi, ut Dominus propter nihil aliud passus fuisse videatur, quam, ut te ad tuarum propensionum odium perduceret: sed illius præfertim, quæ magis regnat inte, magisque displicet Majestati Divinæ.

Ut admirationem concipere possis, meditare, quid inveniri majus possit, quam Creatorem universi conspicere diris unde quaque persecutionibus per suasmet creaturas exagitatum: depressam, conculcatamque supremam Numinis Majestatem intueri: condemnatam justitiam: Cæli, terræque Pulchritudinem sputis deturpatam: divini Patris Amorem odio habitum: Lumen inaccessibilem, increatamque videre in tenebrarum potestates redactam: ac demum, quam cernere Gloriam, atque Felicitatem ipsam, tanquam ignominiam humani generis, reputatam, atque in miseriarum omnium profundum dejectam.

Ut autem afflito Domino tuo compatiaris, præter meditationem pœnarum exteriorum ejusdem Domini, cogitationem tuam quoque dirigas in alias pœnas longe maiores torquentes intrinsecus Christi animam. Si enim magnopere pro exterioribus commotus fueris, pro interioribus, procul dubio, cor tuum præ doloribus disrumpetur.

Aspiciebat namque Jesu Christi anima essentiam Divinam, ut nunc intuetur in Cœlis, illamque honore, atque obsequio dignissimam agnoscebat: cumque ei (ob amorem ineffabilem, quo ipsam amabat) addicta esset, creaturas omnes una cum omnibus suis viribus in ejusdem divinæ essentiæ obsequio, atque dilectione cupiebat intentas.

Hinc sanctissima anima, ob innumeratas teræ culpas, ac scelerata tam barbare offenditam, despiciamque se cernens, transfodiebatur eodem tempore ab infinitis doloris acuminibus, quæ illam magis dilacerabant, quo major erat ejus amor, atque cupiditas, ut tantæ majestati quilibet inserviret, honoremque debitum impertiretur.

Sicut autem tanti amoris, tantæque cupiditatis magnitudo a nobis percipi nequit, ita nec inter nos aliquis invenitur, qui cognoscere posset, quam acerba, & gravis ad ferendum esset afflictio interior Domini nostri.

Adde, quod, cum Jesu Christi anima creature omnes diligeret, juxta proportionem amoris sui summopere doluit de singulis earundem peccatis, propter quæ separari ab ipsa per totam æternitatem illæ debebant. Pro qualibet enim culpa lethali, quam, vel jam admiserant, vel admissuri erant homines, qui fuerunt, sunt, & erunt; & quoties quicunque istorum peccabat, toties separabatur ab ipsa Domini anima, cum qua per charitatem uniebatur.

Quæ separatio eo crudelior erat illa , per quam corporalia membra a proprio , suoque naturali loco disjunguntur , quo anima (utpote purus spiritus nobilior est , & perfectior corpore) idcirco etiam doloris majoris erat capacior.

Inter hæc tormenta pro creaturis perpeſſa barbarum summopere illud fuit , quod Domini anima experta est propter scelera tot damnatorum , eo quod iſti nunquam in perpetuum uni-ri ſecum deſebant : ſed a crudeliffimis , æterniſque ſuppliciis ſemper excruicari .

Quid ſi anima tua , fili , ut magis doleat , magisque Christo Jesu compatiatur , penetrare cogitatione profundius optaverit ; inveniet ab ipſiusmet Domini anima pœnas tam barbaras , & inhumanas perferri : neque tantum propter commiſſas ab hominibus eulpas , verum etiam propter illas , quæ perpetrari ab iisdem poterant , licet deinde nunquam fuerint perpetratae . Extra dubium etenim eſt , quod Dominus nedum commiſſorum criminum indulgentiam , verum etiam præſervationem a non commiſſis dolorum , atque pœnarum ſuarum ſumptibus , nobis omnibus ſit lucratus .

Nec aliæ deerunt conſiderationes , ut una cum affliſſimo tuo Domino affligi poſſis .

Nullus enim dolor , vel fuit , vel erit unquam in rationali creature , quem in ſe anima Domini non toleraverit .

Quinimo injuriæ , tentationes , ignominiæ , pœnitentiæ , angustiæ , languoresque omnium hominum magis Christi animam intrinſecus affix-

fixerunt, quam illos ipsos, qui tales pœnas sustinuerunt.

Omnes quippe mortalium afflictiones, sive magnas, sive parvas, tam animæ, quam corporis, imo etiam, vel minimum capitis dolorem, aut acus vulnus perfectissime benignissima Redemptoris anima tunc agnovit, vidit, & propter nimiam charitatem habere, & pati voluit in corde suo.

Nec satis, fili, adde, quod, plusquam ab omnibus aliis pœnis, angustiisque perpessis ob cæteras creaturas, a suæ Matris doloribus Christus Dominus excruciatus est, adeoque crudeliter, ut explicari vix possit; nam tot modis, & propter singulas causas (pro quibus Dominus passus est) sanctissima ejus Genetrix, quamvis non ita intense, acerbissime nihilominus afflata est. *Doloris etenim gladius sacratissimam ipsius animam pertransiuit.*

Qui Virginis dolores, & cruciatus rursus Filii sui divini vulnera exacerbaverunt, & ab illis tanquam a tot ardentibus amoris jaculis dulcissimum cor ipsiusmet Filii transfixum est, & quidem ita immaniter, ut ob tot enarrata supplicia, nec non ob alia pene infinita, quæ ignoramus, dici potuisse voluntarius tormentorum infernus, ab ardentiissimo amore erga humanum genus confectus: sicuti scriptum quoque legimus, cor Domini fuisse a pia quadam anima nuncupatum.

Itaque, fili, si recte prædictorum dolorum causam expenderis, quos affixus Cruci Salvator

noster, ac Dominus toleravit, nullam aliam invenies praeter peccatum.

Ex quibus omnibus evidentissime consequuntur, quod dolere pure ob Dei amorem propter offendam illi factam: odio habere peccatum supra omnia: magnanimiterque dimicare adversus hostes, atque malas propensiones nostras, ut, veterem hominem cum suis affectibus exuti, novum possimus induere secundum Jesum: ac tandem animum nostrum exornare virtutibus; hoc vere fit compati Domino, illique gratias agere, & quidem eo modo, quo ipsem a nobis requirit, nosque propter causas innumera- biles tenemur facere.

## CAPUT LII.

*De profectu, qui derivari potest in eos e Crucifixi Domini meditatione, ejusque virtutum imitatione.*

Inter alios profectus non paucos, quos ex hac sanctissima Jesu Christi meditatione debes colligere.

Primus sit Nedum propter peccata tua præterita doleas, verum insuper mærore afficiaris, eo quod inveniantur adhuc, vigeantque in te effrænes illæ passiones, quæ Crucis Domini confixerunt.

Secundus: Veniam a Deo flagites peccatorum tuorum, nec non etiam perfectum odium contra te ipsum, ne amplius illum offendas; imo, ob gratiarum actionem pro tot cruciati- bus

bus ab ipso toleratis amore tui, ab eo posces : ut diligere ipsummet possis, eique perfecte in posterum inservire ; quod absque prædicto tui ipsius odio obtainere nequaquam poteris.

Tertius : Magnanimitter usque ad mortem persequaris quamcunque malam propensionem tuam, licet exiguum.

Quartus : Pro omnibus tuis viribus imitari studeas Salvatoris virtutes, qui passus fuit non tantum, ut nos redimeret, & pro nostris iniquitatibus satisfaceret, sed etiam, ut præberet nobis exemplum, quo nos quoque vestigia ejus calcare addiscamus.

Ecce tibi meditationis modus, quo uti poteris ad hunc finem :

Si cupis, exempli gratia, patientiam consequi, & Christum Dominum in hoc imitari ; hæc, vel similia puncta meditare :

Primo : Quid faciat patiens Jesu Christi anima erga Deum.

Secondo. Quid erga Jesu Christi animam Deus.

Tertio. Quid Christi anima erga se ipsam, & erga sacratissimum corpus suum.

Quarto. Quid Christus erga nos.

Quinto. Quid facere & nos tandem debeamus erga Christum.

In primis igitur considera, quod Christi anima omnino intenta perseverans in Deum obstupescat, ubi videt magnitudinem incomprehensibilem, (cujus comparatione creata omnia putum nihilum sunt) humiliatam in omnibus,

(præterquam in divinitatis suæ gloria) sustinere in terris indignissimas vituperationes, & ludibria propter hominem, a quo nihil aliud unquam recepit, præter infidelitates, & injurias; tum considera etiam: quomodo Majestatem divinam Christus adoret: quomodo eidem gratias agat, totumque se offerat.

Deinde ad ea respice, quæ Deus erga Christi animam facit, & vide, quam ardenter cupiat, atque ideo quot stimulis ipsam incitet, ut pro nobis alaparum iEust, sputa, blasphemias, flagella, spinas, & Crucem perferat; tum proinde cerne, quomodo voluntatem, & placitum suum hoc esse ostendat, Christum intueri undeque afflictionibus, & opprobriis onustum.

Ex hoc vero ad Christi animam cogitationem tuam converte, & meditare, quomodo (ubi conspicit ejusdem Christi anima intellectu suo perspicacissimo, quam multum Deo placeat, ut ipsamet pro nobis patiatur) statim ac invitatur a Deo, ut pro amore, exemplo nostro predicta tormenta sustineat, illico cum lætitia promptam paratamque se præstet ad obtemperandum in omnibus voluntati Divinæ.

Sed quis intra profundissima penetrare potest desideria, quæ de istis purissima, & dulcissima Christi anima interius nutrit? Inter hæc enim, velut inter tormentorum labyrinthum, quærerit (licet, prout cuperet non inveniat) novos modos, & formas, cruciatuum. Quapropter una cum innocentie carne sua (ut de illa fiat, quidquid illis placet) in manus, voluntatem-

tatemque iniquorum hominum, dæmonumque infernaliū, non tantum libere, verum etiam libentissime se totam tradit.

Post hæc intende oculos tuos in Christum Jesum, & audi, quæ subtacite suo aspectu benignissimo dicat tibi, nempe :

*Ecce fili mi, quo me immoderatae concupiscentiae tuæ adduxerunt, quando ne parvam quidem vim tibi inferre voluisti! Ecce quæ pro te patior, & quam hilari vultu hæc omnia fero pro amore tuo! Ecce inquam ea, quæ ob patientias exemplum magna mea cum voluptate sustineo!*

Per hos omnes dolores meos te rogo, fili, ut ex anima hanc Crucem, quam modo geris, & aliam quamcunque mihi gratam, ac tibi a me, pro meo placito immisgam, libenter loleres; imo ut te manibus omnino committas persecutorum tuorum, (sive isti debiles, & mites sint, sive fortes, & crudeles) quos contra te, honoremque, famam, atque corpus tuum ego impellam. O! si scires consolationem, quam ego percipiam propter hoc! illam potes agnoscere ex his vulneribus, quæ tanquam gemmas dilectissimas habere volui, ut miseram animam tuam mihi summopere charam ornare possem. Quod si ego protre ad mortem usque redactus sum: cur sponsa mea amantissima, recusabis aliquantum pati, ut cordis mei desiderio facias satis, & ut mitiora efficias mea vulnera, quæ, utpote mihi ab impatientia tua inficta sunt, ab ista magis quam ab ipsis vulneribus cor meum affigitur, & laceratur?

Tum attente considera, quis ille sit, quem tibi audire videberis sic discurrentem; ubi vero Regem gloriæ, Christum, verum Deum, & verum hominem esse conspexeris, meditare magnitudinem pœnarum, atque contemptuum ejus, quibus neque latro omnium scelestissimus dignus fuisset. Proinde cernens Dominum tuum inter tot languores, tormenta, non solum immobilem, & patientem persistere, sed, tanquam inter nuptias, lætum: contemplare, quomodo, adinstar ignis, (qui ad aquæ pabulum plus accenditur) quo magis augentur cruciatus, magis, magisque etiam in eo crescat cupiditas subeundi majores. Hic tamen haud sistes: sed considerabis insuper, prædicta omnia operatum, passumque fuisse clementissimum Deum nostrum non coacte, invitoque animo, vel propter sui ipsius utilitatem: sed, us ipsem dixi tibi, propter solam charitatem, amoremque suum erga nos, atque, ut exemplo suo in virtute patientiæ exerceamur. Hinc agnoscens, quid Christus cupiat, gaudiumque non ignorans ab eo perceptum ex nostro patientiæ exercilio, quære, omni studio, ut voluntas tua actus ferventissimos eliciat, sustinendi scilicet, non solum patienter, verum etiam cum animi, vultusque lætitia Crucem, quam tunc habueris, una cum reliquis, quamvis gravioribus, si hoc opus fuerit, ut Dominum imiteris, illumque subleves inter angores commorantem.

Ante oculos tuos dein sistens ignominias, & amaritudines a Christo pro te perpetras, ejusque

que perferentiam , & constantiam ; te pudeat patientiæ tuæ , eamque vel umbram etiam solam Christi patientiæ appellare ; doloresque , & vituperationes tuas veras vocare . Imo , timere , & contremisce , eo , quod nullus aëtus , licet remissus , duret in te , qui vere a cupiditate tolerandi aliquid pro amore Domini procedere videatur .

Itaque suffixus in Cruce Dominus liber est , quem tibi , fili , ad legendum propono ; ex hoc enim expressam virtutis cujuscunque imaginem sumere potes ; & , cum sit liber vitæ , non solum verbis intellectum erudiet , sed exemplo etiam efficacissimo voluntatem tuam inflamabit . Libris equidem plenus est terrarum Orbis , at illi tam perfecte edocere non possunt modum singulas acquirendi virtutes , sicut optime , se sola , potest Cruci affixi Numinis meditatio .

Quapropter scito , quod ii , qui multum insunt temporis in deslenda Jesu Christi passione , ejusque patientia meditanda ; & postea in adversitatibus occurribus se impatientes ita ostendunt , tanquam si quidquid aliud diversum in oratione considerassent : similes terrenis militibus sunt , qui sub tentoriis ante certaminis tempus sibi multa , & magna promittunt , at , supervenientibus deinde hostibus , armis una cum animo relictis , se fugæ dedunt . Sed quid stultius , & miserabilius inveniri potest , quam intueri , velut in nitidissimo speculo , Domini nostri virtutes , easque diligere , & admirari , &

& paulo post ipsarum omnino obliviſci, vel faltem eas nihili facere, cum occasio nobis objicitur, per quam circa illas exerceamur?

## CAPUT LIII.

*De sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.*

Hucusque, fili, sicuti optime tibi quoque notum est, quatuor te instruxi armis, quibus indigebas, ut tuos hostes devinceret: tum nonnulla etiam documenta tibi tradidi, ut praedicta arma bene tractares; superest nunc, ut aliud armorum genus te doceam, sacratissimum nempe Sacramentum Eucharistiæ.

Ut enim Venerabile hoc Sacramentum cæteris omnibus antecellit, ita istud armorum genus reliquis omnibus excellentius, atque præstantius esse debet.

Quatuor arma supradicta suam omnem virtutem desumunt a Christi Domini meritis, nec non a gratia, quam nobis sanguis ejus promeruit, sed novum hoc armorum genus est ipse met Christi sanguis, ipsamet ejus caro, anima, & divinitas; per illa contra hostes nostros Domini virtute certamus, per hoc adversus eosdem, sed una cum Christo auxiliante, pugnamus: imo Christus ipse nobiscum, & pro nobis decertat. Quicunque enim manducat Christi carnem, & babit ejus sanguinem, ille cum Christo manet, & Christus cum eo, in eo, & pro eo.

Quia vero duobus modis hoc armorum generi uti possumus, seu, ut clarius loquar, quia duobus modis sumi potest hoc sanctissimum Sacramentum: sacramentaliter scilicet, semel in die, & spiritualiter, singulis horis, ac quoque momento; ideo in primis frequentius, quo potes, sacramentaliter ipsum debes recipere, spiritualiter vero semper, & quotiescunque tibi placuerit.

## CAPUT LIV.

*De modo sumendi venerabile Eucharistiæ Sacramentum.*

Dilekte Fili, quoniam propter diversos fines ad Sacramentum hoc divinissimum accedere possumus, hos ut assequamur, variæ res in tria divisa tempora nobis agendæ sunt: nimirum: Ante communionem, cum sumus communicaturi: & post Communionem.

Ante Communionem quoque fine istam adeamus, emundemus nos, atque lavemus, oportet, per pœnitentiæ Sacramentum a maculis lethalis culpæ, si aliqua (quod Deus avertat) in nobis foret; ac deinde cum affectu, ex toto corde, & anima, totisque ex viribus, atque potentiis nostris, Jesu Christo nos tradamus, ejusque totali beneplacito: cum ipse etiam in hoc Sacramento sanctissimo det nobis sanguinem, & carnem suam una cum anima, & divinitate, nec non etiam simul cum suis meritis. Considerantes autem, quod parum, vel nihil sit,

quid-

quidquid illi retribuimus pro tanti muneris accepti magnitudine, debemus simul cum omnibus rebus nostris offerre illi etiam omne id, quod creaturæ singulæ, sive humanæ sive Angelicæ eidem obtulerunt.

Quare cupiens tu Sacramentum Eucharisticum sumere, ut subjungentur, & prosternantur in te hostes tui, & Dei, priusquam sequenti mane ad sacram Communionem accedas, incipe ab antecedentis diei vespere, vel citius, si potes, & meditare ardenterissimum Filii Dei desiderium, ut huic Sacramento sanctissimo locus concedatur in corde tuo; ut sic uniri tecum possit, tibique auxilium praestare ad quoscunque tuos defectus radicitus evellendos, omnesque tuas malas propensiones affatim eliminandas.

Comperies etenim, si haec egeris, quod tale desiderium adeo fervens, & immensum reperiatur in Domino, ut a nullo creato intellectu comprehendi possit.

Tu nihilominus, ut alicujus de eo notitiæ particeps fias, duo menti bene exprimas opus est:

Primo. Ineffabilem Domini clementissimi voluntatem, & placitum commorandi nobiscum. Hoc namque suas esse delicias ostendit per sacram Scripturam, quæ ait: *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Quapropter etiam poscit cor nostrum ad inhabitandum in illo, cum per eandem sacram Scripturam hunc in modum loquatur: *Fili præbe mihi cor tuum.*

**Secundo.** Considerationem hanc tua quoque mente revolvas: nempe, quod Deus summopere peccatum odio habeat: tum ut impedimentum ad unionem suam nobiscum tam desideratam ab ipso Deo: tum ut quid omnino contrarium perfectionibus suis. Cum enim ipse summum bonum, lux pura, & pulchritudo infinita, non potest, nisi infinite odiisse, & abominari peccatum, quod nihil aliud est, quam tenebrae, error, & intolerabilis animarum nostrarum immunditia..

Fervidum autem ita est Domini Dei odium contra peccatum, ut ad ejus consternationem omnia tam veteris, quam novi Testamenti opera ordinaverit: sed illa præsertim sacratissimæ passionis Filii sui, qui (ut multi servi Dei asseruerunt) ad culpam omnem nostram, etiam minimam annihilandam in nobis, millies de-nuo morti (si opus esset) exponeretur.

Ex his considerationibus agnoscens tu, et si imperfecte, magnitudinem desiderii, quod habet Deus ingrediendi cor tuum, ut inde expellat, & omnino debellet tuos, suosque hostes: efficax desiderium tu quoque excita in te, accedendi ad ipsum propter eundem finem. Quod ut facilius assequaris, his vel similibus jaculatoriis precibus uti poteris:

*Veni Domine Deus meus: veni, & adjuva me hominem miserum: veni, & vince hostes tuos, & meos. O Domine mi amantissime! quando-ne illucescit optatissima illa dies, qua robur a te, vivo, cœlestique pane recipiens omnes meos Scupuli Certamen.*

*adversarios, & vitia deprimam, & conser-  
nabo.*

His magnanimus, fortisque tui effetas, desumpto animo a spe adventus Ducis tui cœlestis in animam tuam, ad certamen saepe compelle affectum, seu passionem illam, quam elegisti superandam, reprimendamque per iteratos, & constantissimos actus voluntatis tuæ. Inter hæc produces virtutum prædictæ passioni oppositos: Quod quidem vespere, & mane ante sacratissimam Communionem facies.

Cum vero tantum suscepturnus eris Sacramentum, paulo ante, breviter errores tuos considera a tempore antecedentis Communioonis usque ad illud percurrendo: videbis enim, te ita libere peccasse, ac si Deus in terrarum Orbe non inveniretur: vel quasi tot, & talia pro te non esset passus tormenta in mysteriis Crucis; pluris namque fecisti vilissimum tuum animi affectum, & voluptatem, quam Domini placitum, & honorem. Pro quo ingratissimi cordis vitio, aliisque tuis erroribus, sancto pudore, metuque perculsus timebis sacram adire Communionem, ut offensum a te adeo Numen intromittas in te.

Verum statim recogitans, quod abyssus immensurabilis bonitatis divinæ abyssum ingratitudinis, & exiguae tæ fidei invocat: magna cum fiducia ad Deum accede, eique habitaculum pandens in corde tuo, ut omnium, quæ

quæ in te sunt, totalis, & absolutus Dominus esse possit.

Tunc autem sufficiens, aptumque habitaculum Deo præstabis, ac paudes, cum affe-  
ctum creaturarum omnino expuleris a corde tuo, illudque ita clauseris aliis, ut soli Deo pateat ingressus ejus.

Ubi vero sacra Communione refectus fues-  
tis, te in secretum cordis tui recipiens, Deum prius adora: tum humiliter, & reverenter cum Deo sic loquere in corde tuo:

*Tu vides, mi Deus, unicum bonum animæ meæ, quam facilis, & pronus ego sum ad offen-  
sionem tuam, & quantum possit vitium N. ad-  
versus me. Vides quoque, quod me ab hoc,  
ex memetipso, liberare non valeo; idcirco tibi  
soli, cuius principalius interest certamen meum,  
hoc ipsum committo: & a te solo victoriam spe-  
ro, atque exspecto, quamvis mihi quoque decer-  
tare necesse sit.*

Hæc inter, ad æternum Patrem te vertere,  
eique, tum pro gratiarum actione, tum pro  
tui ipsius victoria offer Filium suum, quem  
ipse sub speciebus Sacramentalibus dedit tibi,  
tuoque adhuc in pectore commoratur. Dein-  
de strenue adversus vitium tuum, non solum  
auxilium, sed triumphum, cum fiducia a Deo  
attendas: qui (si feceris quidquid potueris)  
nunquam tibi illum denegabit, licet quando-  
que tardus in eo tibi præstando videretur.

## CAPUT LV.

*Quod ad sanctissimam Communionem nos præparare debemus , ut amorem in nobis erga Dominum excitemus.*

**D**ilecte Fili , ut per hoc divinissimum Sacramentum ad Deum tuum diligendum exciteris , mentem dirige in ejus amorem erga te , & vespere percurrenti ad sacram Refectionem infra posita meditare : nimirum.

Quod magnus , & omnipotens Deus non contentus creasse te ad imaginem , & similitudinem suam : Filiumque suum unigenitum in terram misisse (ut triginta tres annos patetur pro iniquitatibus tuis , atque ut acerbissimos cruciatus , & crudelissimam Crucis mortem subiret pro redemptione tua ) voluerit insuper eundem Filium suum in cibum , salutisque opportunitatem in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento donare tibi .

Attente , quæso , considera incomparabilem istius amoris pretiositatem , & excellentias , a quibus undequaque perfectus redditur , ac singularis .

Primo. Si ad tempus respicimus : perpetuo , & absque ullo principio dilexit nos Deus : sicut enim ipse in divinitate sua æternus est , ita quoque æternus est amor , quo nos ante omnia sœcula amavit , decrevitque in mente sua Filium suum divinum sub hoc admirabili Sacramento largiri nobis .

Pro

**Pro quibus omnibus interius exultans, & gaudens sic dicere poteris:**

*In illo ergo æternitatis abyssō tanta in cœstinatione erat apud Deum, adeoque ab eodem Nihilum meum diligebatur, ut mei fuerit recordatus? Tum tali charitatis affectu flagrabat erga me, ut Filium suum unigenitum in cibum mihi præbere dignatus fuerit?*

**Secundo.** Cæteri omnes amores, licet magni, terminum aliquem habent, nec ultra illum se extendere possunt: sed amor Domini nostri absque mensura omnino est.

*Quapropter cupiens Deus totum amorem suum vis ostendere, proprium Filium suum in Majestate, infinitate, aliisque divinis attributis sibi æqualem, ejusdemque substantiæ ac ipse est, nobis immisit. Unde tantus est amor quantum donum, & tantum donum quantus amor: utrumque magnum adeo, ut altera magnitudo major ista a nullo possit intellectu excogitari.*

**Tertio.** A nulla necessitate, aut vi ad nos amandum Dominus impulsus est, sed sola intrinseca ejus bonitas ad hanc, & tam incomprehensibilem amoris affectum concipiendum erga nos ipsum extimulavit.

**Quarto.** Nullum etiam opus, nullumque meritum nostrum præcedere potuit; ratione cuius immensus Dominus noster tantum amoris excessum patefaceret nobis: sed prædicta omnia una cum se ipso ob puram charitatem,

& liberalitatem suam nobis **creaturis suis** miserrimis largitus est.

Quinto. Si cogitationem tuam ad hujus amoris puritatem extenderis, manifeste agnoscere amorem hunc non esse, velut amores terrenos, propriis nempe immixtos utilitatibus. Dominus enim bonorum nostrorum non eget cum, ex se solo absque nobis, felicissimus, & gloriosissimus sit intra se ipsum. Quare ineffabilem bonitatem, & charitatem suam nobiscum exercere voluit, non propter utilitatem, aut commodum suum, vel minimum, sed propter nostrum tantummodo bonum, & beneficium.

Hæc vero expendens, & meditans, fili, dices intra te ipsum:

*Quid est hoc? Et quomodo esse potest, quod tam sublimis, & sapiens Dominus cor suum ad me creaturam adeo miserabilem convertat, quodque omnes suas cogitationes in me reponat? Quid per hæc cupis a me o Rex gloriae? Quid expectas a me, qui nihil aliud sum, quam exiguis pulvis, atque abjectissimum sterlus? Ah! quam bene percipio, Domine mihi, per ferventis tue charitatis lumen illustratus, quod unicum tantum sit motivum tuum, ex quo, eo clarius etiam amoris tui puritas erga me manifestatur. Nullam enim aliam ob causam te mihi præbes in cibum, quam, ut ego in te convertar, non eo quod mei indigeas, sed solum, ut tu vivens in me, & ego in te, per amoris unionem idem fiam, qui tu*

*Tu atque ita ex terreni cordis mei exilitate, una cum corde tuo divinum quoddam efficiatur.*

Propterea plenus admiratione, eoquod adeo aestimeris, & diligaris a Domino, intra secretum cordis tui cubiculum te recipies, ubi agnoscens, nihil aliud intendi, & operari a Deo per amorem suum omnipotentem, quam te creatureis omnibus, teque a te ipso (qui creatura quoque es) sejungere, ut omnem amorem tuum trahat ad se; tu illico totum te rurus in holocaustum offeras Domino tuo, ita ut in posterum solus amor divinus, & Dei beneplacitum moveat te, & moderetur intellectum, memoriam, voluntatem, sensum, atque omnia tua.

Item agnoscens, quod nulla alia res inventiri possit, quæ adeo satisfacere queat Domino tuo, & te secum unire, quam sumere Sacramentum istud sanctissimum, conare, meliori modo, quo potes, ut cor illi præpares, atque expandas ad hunc effectum.

Scito vero, quod tunç solum aperies cor tuum, cum illud omnibus rebus terrenis clauseris, & per sanctas cogitationes ipsum Dominum invitatis. Imo te ipsius Dei constitues Dominum, si, ut ei soli placeas, ardenter exoptaveris, atque expectaveris adventum ejus. Ad quæ omnia ad interiorem affectum te dispones, nec non etiam dicendo intra cor tuum has, vel consimiles jaculatorias preces, seu aspirationes:

*O cœlestis esca, quænam erit hora illa, qua nullo alio, nisi tui amoris igne, totus comburar in Sacrificium tibi? Quandone illa erit, increate mi Amor?*

*Quando ego vivam de te, propter te, & tibi soli, o vivus panis?*

*Heu, Heu quando, o vita jucunda, o vita pulchra, o vita æterna tempus adveniet, quo solam voluntatem tuam ante oculos meos habeam, oblitus omnino meæ?*

*Quando per veram charitatem uniar tecum, o cœleste, o dulcissimum manna?*

*Quando? Quando, quemcunque alium terrenum cibum fastidiens, te solum cupiam? te uno pascar? Quando hoc erit, o dulcedo mea? Quando, o tota spes cordis mei? Heu, heu mi amantissime Domine, mi omnipotens Deus, libera, quæso, animum meum ab omni vinculo non bono, & ab omni affectu malo: sanctis illum virtutibus exorna, soloque hoc fine ipsummet dita, ut omnia pure propter te, & propter tuum tantummodo placitum posthac efficiam.*

*Fiat, fiat, oro, in me, Domine, voluntas tua, quia totus tuus ego sum.*

*In his autem amoris affectibus exercere te poteris, & præcedenti vespere ad sacram Communionem, & mane, ut te præparare ad illam possis.*



CAPUT LVI.

*De modo præparandi nos ad sanctissimam Eu-  
charistie mensam , cum jam tempus  
prope est adeundi ipsam.*

**U**bi tempus sacræ Communionis appropin-  
quaverit , meditare fili mi , quemnam ac-  
cepturus sis , Filium nempe Dei in Majestate  
incomprehensibilem : ante quem Cœli , & Po-  
testates omnes timent , ac contremiscunt : San-  
ctum Sanctorum Speculum sine macula : &  
Puritatem incomparabilem , in cuius conspectu  
nulla creatura invenitur , quæ munda sit .

Illum , dico , suscepturnus es ; qui omnia ,  
teque ad sui similitudinem creavit .

Illum , qui pro amore tuo , tamquam ver-  
mis , & plebis immunditia , voluit despici , cal-  
cari , illudi , sputis confpurcari , & demum ab  
hominum iniuitate affigi Cruci .

Illum inquam immensum , atque omnipo-  
tentem Dominum , in cuius manu vita , & mors  
totius universi semper fuit , & erit .

Tu vero ille es , qui tantum Numen de-  
bes sumere , o vilis homo ! Tu , qui ex te  
Nihilum omnino es ? Tu , qui singulis , vel  
immundissimis creaturis inferior factus es pro-  
pter peccatum ? Tu , tu ergo indignus homo ,  
qui ab omnibus Inferorum dæmonibus mereris  
illudi ?

Tu , repeto , o ingratus homo , qui , pro  
grati animi ostensione erga tot , & tam magna-

beneficia , effrenatis animi tui affectibus , & illicitis cupiditatibus tam excelsum , potentem , amabilemque Dominum contempsisti , ejusque sanguinem pretissimum conculcasti ?

Ecce nihilominus , o indigne fili ! ecce , quod semper in charitate , & bonitate sua firmissimus , & immutabilis tam bonus Deus ad suam divinam mensam idem ipse te vocat hinc , fatere ingrate fili : nonne quandoque etiam minis , mortisque terroribus cogit te , ut ad ipsam accedas ? Ecce o amor , o pietas ! ineffabilis suæ bonitatis ostium ( licet homotam perversus , & malus sis ) tibi non clauditur . Ecce divinos humeros suos non vertit contra te , quamvis turpissima scelerum lepra infectus , quamvis energumenus , quamvis cœcus , quamvis claudus , multisque , & innumeris criminibus involutus sis !

Ecce , fili , ecce , etsi ingratisimus Deo sis , quæ a te pro tot incomparabilibus muneribus solum petit ! Ecce quam parum petit !

**Primo.** Ut de offensa doleas adversus ipsum commissa.

**Secundo.** Ut super omnia peccatum (grave , & leve ) odio habeas.

**Tertio.** Ut non tantum affectu , sed & effectu totum te offeras ( cum occasio sepe objecatur ) divinæ voluntati , ac beneplacito .

**Quarto.** Ut speres , constanterque confidas , quod ille tibi ignoscet : quod te a peccatorum maculis emundabit : quodque ab hostibus te defendet .

*Roboratus dein, fili, ab ineffabili hoc Domini amore Communionem sacram accede, cum timore sancto simul, & amatorio; tum una cum Sacerdote ter proferente: Domine non sum dignus, &c. dic etiam tu:*

*Domine non sum dignus, ut suscipiam te, quia saepe Te offendi, erroremque meum nunquam deflevi.*

*Domine non sum dignus, ut manducem Te, quoniam mundus omnino ego non sum ab effectibus veniatum peccatorum.*

*Domine non sum dignus, ut accipiam Te, quia nondum sincere tradidi me amori tuo, voluntati tuae, obedientiae tuae.*

*Eja nihilominus, omnipotens Deus, qui sine fine bonus es, propter bonitatem, & Verbum tuum, dignum me fac, ut hac fide Te recipere possim, o Amor meus!*

*Postquam vero communicaveris, in secreturn cordis tui te recollige, ibique te claudetum subinde cujuscunque rei creatae oblitus, corde colloquere, his, vel similibus verbis cum Deo tuo:*

*O Rex Regum, & Dominus Dominantium, Caelorumque, & terrae supremum Numen! quis te introduxit in me, qui creatura miserrima sum, cæca, egena, & nuda? Tunc respondebit tibi, ac dicet: Amor causa unica fuit ingressus mei.*

*Ad hæc iterans tu petitionem dices: O Amor increate! o dulcis Amor! o clementissime*

*me Amor! quid per hoc a me poscis? Quid a  
me cupis?*

*Ad quæ illi tibi: Nihil aliud postulo a Te,  
quam amorem tuum: neque alium ignem ardere  
in Altari cordis tui, in Sacrificiis tuis, præter  
ignem amoris mei, qui cæteros omnes amores,  
tuamque propriam voluntatem excurens, & ab-  
sumens, odorem mihi tribuat suavissimum.*

*Hoc semper poposci, & posco, quia nihil  
aliud cupio, quam ut ego totus tuus sim, tu-  
que totus pariter meus fias.*

*Quod tamen fieri nunquam poterit, doce-  
te omnino resignaveris placito meo; absque ista  
enim semper amori, judicio, nec non cuilibet  
voluntati, honorique tuo adhaerebis.*

*Flagito a te ( dicet iusuper Dominus )  
Odium tui ipsius: ut amorem tibi meum dona-  
re possim: Cor tuum peto, ut in eo commorans  
meum, ad invicem uniantur, ideo namque in  
Crucis patibulo meum mihi reseratum est: Cu-  
pido inquam, ac peto, quidquid tuum est, ut,  
quidquid ego habeo, tuum sit, atque ita bene-  
placitum meum in te sit, & beatitudo tua repe-  
riatur in me.*

*Dilecte fili, optime potes agnoscere, quod  
incomparabilis pretii ego sum; nihilominus pro-  
pter bonitatem meam tanti solum appretiari vo-  
lo, quanti tu, eme igitur me, donando te  
mihi.*

*Opto a te ( dicet tandem Filius Dei ) ut  
nihil, velis, nihil cogites, nihil videas præter  
me, & præter voluntatem meam: ut in te ego  
omnia*

*omnia velim, omnia putem, omnia intelligam, ac aspiciam. Hoc quippe modo nihilum tuum absorptum in abyssu infinitatis meæ converteret in illam, atque ego summopere contentus vivam in te.*

Denique, fili mi, offer Patri cœlesti per amatum Filium ejus; primo pro gratiarum actione; deinde pro necessitatibus tuis, pro illis totius sanctæ Ecclesiæ, tuorumque omnium parentum, ac amicorum, nec non illorum, quibus vinculis alieujus beneficij obstringeris tum postremo omni cum fervore, & amore pro misericordiis, & afflictissimis Purgatorii animabus. Hanc autem oblationem cum ea conjungas; quam de se idem Dei Filius fecit, cum totus eruentus in Crucis ara se obtulit Patri suo cœlesti in Sacrificium.

Quo pacto omnia etiam Sacrificia offerre ipsimet poteris, quæ die illa, per universam sanctam, Romanamque Ecclesiam Divinæ Majestati offeruntur.

## CAPUT LVII.

*De Communione Spirituali.*

**E**t si non liceat in communione suscipere sacramentaliter Dominum, nisi una vice per diem, possumus nihilominus, quacunque hora, & momento, spiritualiter illum sumere.

Ab hac enim sacra Comunione nulla creatura, praeter negligentiam, culpabilemque voluntatem nostram, impedire nos potest.

Quæ

Quæ Communio nonnunquam nobis magis utilis, Deoque grata plus esse potest, quam aliæ non paucæ Sacramentales, propter defecatum tamen nostri, qui Sacramentaliter Eucharistia reficimur. Hoc vero tunc præsertim continget, cum ad eam, non adeo diligenter, præparaverimus nos.

Quoties tamen te dispones, interiusque animam tuam emundabis ob tales adeundam Communionem, promptum invenies ipsummet Dei Filium, ut cibum hunc spiritualem propriis suis manibus præstet tibi.

Ut autem bene te præpares ad sacram Communionem, hac intentione, mentem dirige in Deum, brevique intuitu errores tuos inspiciens de illis verum actum doloris, & contritionis in te elicias; atque inde majori cum humilitate possibili, multaque cum confidentia ipsum exora, ut in miseram animam tuam dignetur ingredi, novamque illi gratiam conferre, quas sanam, fortemque ipsam animam reddat contra adversarios ejus.

Similiter, cum vim, & mortificationem alicui tuo appetui inferre debes, aliquem virtutis actum efficere cura, ut omnia pure peregas propter hoc: scilicet, ut cor tuum præpares Domino, a quo perpetuo concupiscitur, & reponitur.

Ad ipsum vero Deum reversus, ardenti succensus desiderio illum invoca, ut tibi gratiam suam velit infundere ob sanitatem tuam spiritualem, libertatemque ab hostibus tuis consequen-

sequendam, ut sic ipse solus possit esse Dominus cordis tui.

Vel saltem præteritæ Sacramentalis Communionis reminiscens, ex inflammato, & cupido corde, dicio ad Dominum *Domine Deus meus, quando in miseram animam meam te deuso recipiam? Veni Domine, veni, & spiritualiter ingressus in me adjuva me in rebus spiritualibus.*

Quod si volueris tè disponere, & pro meliori modo, sumere spiritualem Communione, dirige pridie vesperi omnes tuas mortificationes, virtutumque actus, & quævis alia opera bona ad finem hunc nempe, ut spiritualiter pascaris Domino tuo.

Maturo mane deinde meditans, quodnam bonum, & felicitas sit illius animæ, quæ digne sanctissimo Altaris Sacramento reficitur, (per ipsum enim amissæ virtutes rursus acquirentur: pristina pulchritudo restituitur animæ: fructusque eidem communicantur, & merita passionis Filii Dei) stude diligentissime, ut ingens in te cupiditas nascatur suscipiendi ipsum, & quidem, ut pure illi placeas.

Ubi vero hac fueris accensus cupiditate, ad Deum ipsum te verte, ac dic:

*Domine, quia concessum hodie mihi non est Te sacramentaliter frui, fac Tu, o increata bonitas, o infinita potentia, ut ego digne (præmissa prius per te omnium iniquitatum meorum indulgentia, animæque meæ sanitatem recuperata) spiritualiter in te recreer, modo, quacunque*

*que die, & singulis horis, ita ut novam gratiam, & robur semper obtineam adversus omnes inimicos: sed præcipue adversus hunc, cum quo nunc solum, ut tibi placeam, bellum gero.*

## CAPUT LVIII.

*De gratiarum actione.*

**C**um quidquid boni habemus, & facimus, Dei sit, atque a Deo procedat, sequitur, quod gratias illi reddere debeamus pro quovis bono exercitio, atque victoria nostra, nec non pro singulis, & peculiaribus beneficiis, quæ nobis ab eodem Domino concessa sunt.

Ut autem possis istud efficere, sicut oportet, debes considerare finem, propter quem Deus movetur, ut gratias suas tibi communicet, ex hac namque consideratione, & cogitatione disces, quomodo rependere Deo gratias opus sit.

Attamen, quia Deus in quovis beneficio prius honorem suum quærit, & deinde utilitatem nostram: idcirco prius etiam, ita meditando, discurre:

*Qua sapientia, potentia, & bonitate Deus mihi concessit, & præbuit istud beneficium, & gratiam?*

Postea agnoscens, quod in te, ut in te, nihil reperiatur, vel minimo dignum beneficio: imo, quod nihil aliud sit in te, præter demerita, & ingratitudines, profundissima cum humilitate Dominum sic affare:

*Et*

*Et quare Domine, quare non indignaris canem mortuum intueri? Quare tot mihi beneficia confers? Sit nomen Domini benedictum in saecula saeculorum.*

Tandem cogitans, quod per illud beneficium nihil aliud requirat Deus a te, quam, ut ipsum diligas, eique inservias, efferveat statim, æstuetque in tam amantem, atque amabilem Dominum amor tuus, sincerumque desiderium ostendat illi inserviendi, ut ipse cupit. Hinc prædictis addes insuper integrum, totalisque tui ipsius oblationem, quam isto, vel modo consimili facere poteris.

## CAPUT LIX.

*De Oblatione.*

**U**t oblatio tui ipsius undequaque Deo sit grata, duo illa habeat, necesse est:

**P**rimo. Ut uniatur cum oblationibus a Christo factis cœlesti Patri.

**S**ecundo. Ut voluntas tua omnino a creaturarum affectu disjuncta sit.

Pro primo, sciendum tibi est, quod Filius Dei, nedum seipsum cum operibus suis, verum & nos secum, atque opera nostra cœlesti Patri offerebat. Propterea oblationes nostræ fieri debent cum unione, & fiducia in ejusdem Filii Divini operibus, & oblationibus.

Pro secundo, bene considera, antequam offeras te, num tua voluntas aliquem affectum habeat in se, quo vinciatur; si enim hujus Scupuli Certamen. N modi

modi habeat affectum , ab eo se expedire prius debet. Quare confuges ad Deum , ut subtrahatur per omnipotentem ejus dexteram ab affectu prædicto , liberum , solutumque a terrenis omnibus te totum Majestati divinæ offerre possis.

Attamen valde cautus iu hoc sis , dilecte fili , quia , si te offers Deo , dum adhuc involutus es cum creaturis , nihil de tuo offers , sed id tantum , quod alterius est , cum tunc temporis tuus non sis , sed creaturarum illarum , quibus tua voluntas addita est : quod multum displicet Domino , eoquod per hoc nos ei velle illudere videamur.

Hinc oritur , quod non solum inutiles sint , & absque fructu tot oblationes , quas Deo de nobis ipsis tribuimus , verum etiam , quod in varios errores , & crimina postea corruamus.

Possumus quidem offerre nos Deo , licet implicati cum creaturis inveniamur : sed cum hac intentione , quod ejus voluntas , & beneplacitum nos dissolvat , ut divino deinde Numini , ejusque obsequio , & servituti nos totally dedere valeamus ; imo multum interest , ut istud ingenti , ferventique cum affectu saepissime , faciamus.

Debet igitur oblatio tua esse absque impedimento , & propensione ad quemlibet , etsi bonum , tuæ voluntatis actum ; ita ut , neque ad bona terrena , neque ad cœlestia quoquo modo respiciat , sed tantum ad puram voluntatem , & providentiam divinam , cui te una cum

**cum omnibus rebus tuis submittere debes , atque in holocaustum perpetuum sacrificare ; tum proinde cuiusvis rei creatæ oblitus dicere : Ecce , Domine , mi Creator , mi Rector , omnia mea in manus voluntatis , Et providentiæ tuae resigno , ac in iisdem pono , fac in me , Et de me , Domine , quidquid tibi videtur , Et placet , sive circa vitam , sive circa mortem meam : quinimo post mortem quoque fac , quidquid vis , tam respectu temporis , quam æternitatis.**

**Si hoc modo cum sinceritate feceris , (de quo certus fies , cum res contrariæ , adversæque occurrent) ex terreno felicissimus , & Evangelicus evades negotiator ; Dei namque eris tu , & ille tui : cum Deus semper sit illorum , qui se , tum a creaturis , tum a semet ipsis præripientes , secum sua omnia donant , & sacrificant æterno Deo .**

**Vides ergo , fili mi , potentissimum hunc esse modum superandi queslibet hostes tuos ; nam , si prædicta oblatio tua ita unit te Deo , ut totus , quantus es , fias illius : & ex adverso quantus ille est , totus tuus fiat , quis adversarius , vel quænam potentia poterit te offendere ?**

**Quotiescumque autem aliquod opus offerre Deo volueris , exempli gratia , jejunia , orationes , aëtus patientiæ , & alia hujusmodi bona , mentem prius converte ad oblationem Patri factam per Jesum , suorum jejuniorum , orationum , cæterorumque operum ; nixus ve-**

ro pretio, & virtute ipsorum opera tua deinde offeres Majestati Divinæ.

Quod si Patri cœlesti Christi opera offerre volueris pro culpis, & delictis tuis, hoc, vel simili modo offerre ea poteris.

Respicias in communi, & nonnunquam etiam in particuliari, & singillatim peccata tua; & ubi cognoveris, quod impossibile sit a te, per te solum, iram offensi Domini mitigari, divinæque justitiae satisfacere, confuge ad vitam, passionem, & mortem Jesu Christi: & aliquam ex ejus operationibus meditare, (exempli gratia) quando jejunabat, & orabat, patiebatur, aut sanguinem fundebat; ex his autem percipies, quomodo (ut te Patri suo cœlesti reconciliaret, nec non ut debita solveret iniustum tuarum) eidem singula sua opera una cum passione, ac sanguine offerebat, dicens:

*Ecce, mi æterne Pater, justitiae tuæ abundantissime satisfacio pro peccatis, & debitibus servi hujus N. Piaceat jam benignissimæ Majestati tuæ illi ignoscere, eumque in electorum tuorum numerum acceptare.*

Hæc vero meditans, fili, oblationem tu quoque, atque preces unigeniti Filii offer cœlesti Patri, ipsumque roga, ut, propter ea omnia, universis tuis iniquitatibus parcat ad sui nominis gloriam.

Istud autem exercitium facere poteris, ne dum transeundo ab uno ad aliud mysterium, verum etiam ab uno ad alium aëtum cujuscunque

que mysterii, neque solum pro te, sed etiam  
pro aliis deservire poterit hic offerendi modus,

## CAPUT LX.

*De sensibili devotione, deque ei contraria  
ariditate.*

**D**evotio sensibilis, dilecte fili, modo oritur  
a natura, modo a diabolo, & modo etiam  
ab ipsa Dei gratia: ab ejus tamen fructibus  
facile discernere poteris, a quo procedat; nam  
si in te emendatio vitæ non adfuerit, merito  
suspicaberis, a quonam sit, an a diabolo, vel  
a natura; & eo magis, quo majori cum tua  
complacentia, dulcedine, & affectu, seu etiam  
cum aliqua cui ipsius aestimatione conjuncta  
fuerit.

Hinc, si mentem tuam a consolationibus  
spiritualibus dulcorari senseris, ne disputes,  
qua ex parte ortæ sint; neque ita illis adhæ-  
reas, ut a cognitione tui nihil permittas te di-  
strahi: sed majori solertia, ac tui ipsius odio,  
stude, ut liberum conserves cor tuum a quo-  
vis affectu, licet spirituali: solumque Deum  
desidera, & ejus beneplacitum. Si enim hoc  
modo feceris, sive a natura, sive a diabolo  
consolatio, & dulcedo illa profecta sit, muta-  
bitur in consolationem, dulcedinemque, velut  
a gratia provenientem.

Ariditas itidem, vel a nostra natura, vel  
a diabolo, vel a gratia procedere potest,

**A diabolo, ut mentem in Dei servitio tepidam reddat, eamque ab opere spirituali averat, & ad voluptates, terrenasque delectationes convertat.**

**A natura vero nostra, seu a nobis ipsis, propter culpas, terrenos affectus, & negligentias nostras.**

**A gratia demum, ut moneamur de majori diligentia in repellendis propensionibus omnibus, affectibus, atque occupationibus, quæ non sunt ipse Deus, vel in eundem non referantur; tum etiam, vel, ut agnoscamus, omne nostrum bonum ab ipso Deo proficiere; vel, ut in posterum majori habeamus in pretio ejus dona, magisque humiles simus, & cauti in iisdem custodiendis; vel etiam ut arctius cum Divina Majestate uniamur, præmissa totali omnium rerum nostrarum renunciatione, etiam circa spirituales delicias, ne, istis affectu nostro adhærente, dividamus cor nostrum, quod totum vult, cupitque pro se Dominus noster; vel denique, quia sibi complacet idem Deus ob bonum, utilitatemque nostram, ut omnibus nostris viribus, ejusque gratiæ robore decertemus.**

**Si te igitur aridum noveris, fili, illico mentis oculos in te converte, ut videas, propter quemnam defectum tibi sensibilis devotio subtrahita fuerit; tum adversus illum congregare in prælio, non quidem, ut gratiæ sensibilitatem rursus recuperes: sed, ut tollas a te, quidquid displicet oculis Majestatis divinæ.**

**Quod**

Quod si nullum defectum repereris , devo-  
tio tua sensibilis sit , promptissima resignatio  
voluntati Dei ; siquidem hæc est vera devotio.

Quare magnopere incumbe , ut in prædi-  
cta ariditate exercitia spiritualia nunquam in-  
termittas : sed omni conatu illa prosequere ;  
& licet talia exercitia carere fructu , & spiri-  
tuali sapore tibi videantur , bibe nihilominus  
libenter calicem illarum amaritudinum , quem  
amantissimi Dei tui voluntas tradit tibi.

Si vero ariditas quandoque conjuncta ad-  
fuerit cum tot , ac tam obscuris mentis tene-  
bris , ut nescias , quo te vertas , seu quid con-  
siliis capias : ne ideo terreas , sed solitarius , ac  
fixus in Cruce illa recumbas ab omni terrena  
sejunctus delectatione , quamvis hæc a mundo ,  
vel a creaturis offerretur tibi.

Celare tamen debes , fili , angustias tuas  
cuilibet , præterquam Patri tuo spirituali : cui  
illas aperies non ad pœnæ tuæ levamen : sed ,  
ut ipse te doceat modum , quo eas perferas jux-  
ta beneplacitum Dei .

Proinde , ne Communionibus , orationi-  
bus , cæterisque spiritualibus exercitiis utaris ,  
ut e Cruce descendas , amissamque consolatio-  
nem recipias : sed tantum , ut vires assumas ad  
sustinendum Crucem illam ad majorem glo-  
riam Domini Crucifixi .

Quod si nonnunquam meditari , & orare  
modo consueto non posses propter distraictio-  
nenem , & turbationem mentis , meliori saltem  
modo , quo potes , meditare , & ora .

**Tum quidquid intellectu non vales exequi,  
conare, ut peragas voluntate, & verbis, tecum,  
nec non cum Domino loquens: ex hoc  
etenim admirabiles in te effectus oriri conspi-  
cies: viresque pariter cor tuum affumet.**

**Dicere ergo poteris in tali eventu aliquas  
ex his, vel similibus oratiunculis:**

*Quare tristis es anima mea, & quare con-  
turbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc con-  
fitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus.*

*Ut quid Domine recessisti longe, despicias in  
opportunitatibus, in tribulationibus! Non me de-  
relinquas usque quaque.*

*Domine vim patior, responde pro me.*

*Revertere, revertere fili mi, fac me audire  
vocem tuam.*

*Deus, Deus meus, quare me dereliquisti?*

Recordatus autem illius doctrinæ cœlestis,  
quam Deus tempore tribulationis dilectæ sibi  
Saræ, Tobiæ uxori infudit, eadem tu quoque  
utere, dicens cum hilari, atque impavida  
voce:

*Hoc autem pro certo habet omnis, qui te  
colit, quod vita ejus, si in probatione fuerit,  
coronabitur: si autem in tribulatione fuerit, li-  
berabitur, & si in corruptione fuerit, ad miser-  
icordiam tuam venire licebit. Non enim de-  
leclare in perditionibus nostris: qui post tempe-  
statem tranquillum facis, & post lacrymatio-  
nem, & fletum exultationem infundis: sit no-  
men tuum, Deus Israel, benedictum in sœcula.*

**Tobias 3.**

Memi-

Meminisse quoque debes Christi tui, qui in horto, & in Cruce, maximo cum supplicio a Patre suo cœlesti in inferiori, seu sensitiva parte derelictus fuit. Quapropter simul cum ipso Crucem tolerans, dices:

*Fiat voluntas tua:*

Quod si ita feceris, tua ipsa patientia, & oratio flaminas extollent Sacrificii cordis tui usque ad conspectum Dei: tuque vere deatus fies, cum vera devotio (ut superius dixi) sit viva, & paratissima voluntatis promptitudo, nec non firma constantia sequendi Christum cum ejus Cruce super humeros, per quamcunque ille viam ad se nos invitet, ac vocet. Tum vera etiam devotio est: velle Deum propter eundem Deum, & derelinquere quandoque etiam Deum pro ipsomet Deo.

Itaque, si ab hac regula, & non a sensibili devotione multi hominum, qui vacant spiritui (& præsertim religiosi, atque mulieres) progressum proprium metirentur, a se ipsis, & a diabolo non deciperentur; neque inutiliter, & cum ingratitudinis ostensione dolerent de eo magno, & incomparabili bono, quod sibi ipsis Dominus elargitur: sed majori potius animo, servitio incumbenter Majestatis divinæ, quæ omnia disponit, & permituit ad sui gloriam, nec non ad bonum, atque utilitatem nostram.

Propterea non pauci in hoc se decipiunt, qui cum timore, & prudentia quadam a peccatorum occasionibus cauent, ut aliquando ab

horribilibus, impuris, & abominabilibus cognitionibus impetuntur, seu cum nonnunquam a turpissimis visionibus obruuntur, statim animum amittunt, cogitantque se omnino esse derelictos a Deo; neque sibi suadere possunt, quod in mente praedictis fæditatibus plena velit divinus Spiritus habitare.

Ex quo fit, ut in hisce cogitationibus commorantes ita se affligant, ut fere in desperationem ruant, vel saltem redire meditentur (intermisso omni bono exercitio) ad Ægyptum, a qua antea discesserant.

Non bene tamen agnoscunt isti gratiam, quam ipsis Dominus impertitur; ideo enim permittit eos a talibus temptationum spiritibus invadi, quia cupid eos ducere in sui ipsorum agnitionem: atque ita res disponere: ut effecti iidem indigentes auxilii, ad ipsum propter illud obtinendum accedant. Quare ingratissimos se Deo ostendunt, cum tristantur, mœrentque de eo, pro quo deberent potius se devincentes asserere infinitæ Domini misericordiæ.

Qua ratione, si in eventibus illis quandoque fueris, descende in considerationem tuæ malæ propensionis; illam namque Deus permittit ob utilitatem tuam, nimirum ut promptum, paratumque ad quocunque malum, etiam gravissimum, te agnoscas, nec non, quod absque ejus ope, & auxilio in miseram, extremamque perniciem præceps ires.

Ex hoc tandem spem, fiduciamque concipiás, quod tibi Dominus auxilium sit allatus;

rus; siquidem medio illo facit, quod periculum agnoscas; tum quærit, ut te trahat ad se per orationes, accursumque ad ipsum; cui debes, hac dé causa, humillimas gratias reddere.

Pro indubitato enim habeas, quod similes spiritus, tentationes, turpesque cogitationes melius repellantur per patientem pœnæ toleratiā, prudentemque earum excussionem, quam per anxium nimis studium, & repugnantiam.

## CAPUT LXI.

*De conscientiae examine.*

**T**ria tibi consideranda sunt, fili mi, pro conscientiæ examine.

Primo. Errores decurrentis diei.

Secundo. Illorum causæ.

Tertio. Propensio, atque promptitudo, quam habes ad gerendum cum illis bellum, nec non ad acquirendas virtutes eis contrarias.

Circa errores, facias, quod dixi tibi in Capitulo vigesimo sexto, in quo tractatum est, quid sit agendum, ubi a vitiis, hostibus nostris infensissimis, vulneramur.

Itaque ipsorum causam conaberis expugnare, atque atterere.

Ut istud vero assequaris, voluntatem tuam munias tui ipsius dissidentia: confidentia in Deum: oratione, & multitudine actuum, per quos

quos vitium odio, virtutemque vitio oppositam amore afficias. \*

Victorias, & bona opera, quæ confeceris, suspecta semper arbitreris.

Præterquam quod consulo tibi, ut ad similes operationes non respicias; periculum quippe ferme inevitabile in hoc invenitur alicujus absconditi stimuli, qui nos ad inanem gloriam excitet.

Propterea, omissis prædictis omnibus operibus bonis, mentem tuam intende ad majora, quæ remanent peragenda.

Tum bona cuncta a misericordia Domini recognoscens, tanquam a rerum omnium bonarum causa, gratias ei retribuas, eo quod tot favores, ac dona tibi, illa die, largitus sit: quod a tot manifestis hostibus, & multo magis ab occultis innumeris te liberaverit: nec pon quod bonas tibi cogitationes immiserit, virtutemque occasiones; & demum pro quovis alio beneficio tibi ab eo præstito, licet illud eo tempore non cognoscas.

## CAPUT LXII.

*Quod in hoc Spirituali Certamine semper pugnare oporteat usque ad mortem, sive de perseverantia.*

Dilekte Fili, inter cætera, quæ maxime necessaria sunt in nostro Spirituali Certamine, præcipuum sortitur locum perseverantia. Semper enim debemus incumbere mortificationi nostra-

nostrarum passionum, quæ nunquam in præfenti vita intereunt; quinimo, ad instar herbæ malæ, semper germinant.

Hoc autem Certamen tale est, quod, si eut non conficitur nisi termino vitæ, ita à nobis devitari non potest: &, qui in eo non pugnat, necessario captivus remanet, ac succumbit.

Adde, quod dimicamus cum hostibus, qui nos perpetuo odio habent.

Quapropter, vel pax, vel induciæ cum ipsis nunquam sperandæ sunt; crudelius enim illos trucidant, ac lacerant, qui se iisdem amicos reddere querunt.

Non debes nihilominus contremiscere propter hostium potentiam, & numerum: quia in hoc Spirituali Certamine ille tantum vinci potest, qui vinci vult. Tota namque inimicorum vis, atque potentia in manu Ducis illius est, pro cuius honore, & gloria decertare debemus.

Talis autem Dux non solum non permittet, ut malum aliquod patiaris supra id, quod potes, sed ipsemet pro te arma suscipiet, & tanquam valentior cunctis tuis adversariis victoriam vertet ad manus tuas, dummodo tu quoque simul cum ipso viriliter pugnans, non in te, sed in ejus viribus, labore, ac bonitate confidere velis.

Quamvis vero Dominus, tam cito, palmarum tibi non concederet, ne pusillanimis ideo fias; siquidem certissimus esse debes (& hoc non parum juvabit, ut dimices confidenter) quod

quod Dominus omnia, quæ consurgent adversus te, illaque in primis, quæ magis victoriæ tuæ adversari putabis (cujuscunque generis sint) in beneficium, bonumque tuum commutabit, si tanquam fidelis, atque intrepidus pugnator fueris in hoc certamine.

Quare, fili, cœlestem Ducem imitatus, qui pro te vicit mundum, sibique intulit mortem, operam nava, magnanimo corde, huic Spirituali Certamini, nec non totali tuorum hostium exitio. Nam si vel unum tantum ex ipsis viventem permiseris, ille foret veluti cuspis indecora, & turpissima in oculis tuis; imo tanquam confixa lateribus lancea, quæ tibi gloriosam tam magni triumphi consecutionem impediret.

## CAPUT LXIII.

*Quomodo preparare nos debeamus aduersus hostes, qui nos tempore mortis aggrediuntur.*

Tametsi, dilecte fili, tota nostra vita nihil aliud sit, quam certamen perpetuum super terram, præcipua nihilominus, & celeberrima pugnæ dies illucescet, cum postrema nostri interitus aderit hora. Quicunque enim tunc procumbit, non amplius surget.

Quod autem fieri a te debet, ut paratus illo tempore inveniaris, hoc est: ut nunc, (cum tempus tibi decertandi conceditur) viriliter pugnes: ille namque, qui bene præliaatur,

tur, dum sanus est, non difficulter postea victoriā obtinet, quando moritur.

Insuper frequenter, attenta mente, mortem considera: quia, cum deinde irruet super te, minus eam timebis: mensque tua magis expedita, & parata ad certamen invenietur. Homines terrenis dediti ab ista fugiunt cogitatione, ne voluntatem, & propensionem (quam habent ad terrena) interrumpant; quibus, eoque libenter addicti sint, eorumque amore teneantur, pœna afficerentur, si cogitarent, ea a se aliquando esse relinquenda. Itaque inordinatus horum hominum affectus ad illa non minuitur: sed semper magis, magisque excrescit. Quapropter enim separatio ab hac vita, & a rebus tam charis causa iisdem est inestimabilis doloris, ac pœnæ: & quidem majoris illis hominibus, qui prædictis rebus terrenis a multo tempore pasti sunt, ac delectati.

Optimum quoque erit (ut melius in re adeo necessario te præpares) si mentaliter quandoque te solum (absque ullo auxilio) intermortis angustias sistas: tum in istarum medio ad memoriam tuam referas, quæ te illo tempore perturbare, atque affligere possent. Dein si de remediis item discurras, quæ inferius tradam tibi, ut illis inter postremas eas calamitates salubrius uti valeas; ictus enim, qui una tantum vice ejaculandus est, optime prius debet addisci, ne error subrepat in eo, de quo non admittitur emendatio.

## CAPUT LXIV.

*De quatuor aggressionibus inimicorum nostrorum mortis tempore; Et primo de illa contra Fidem, deque modo nos defendendi ab ea.*

**Q**uartuor enumerari possunt, fili mi, aggressiones præcipuæ, magisque periculo obnoxiae, quibus nos hostes nostri solent invadere tempore mortis. Sunt autem istæ.

Prima. Tentatio contra Fidem.

Secunda. Desperatio.

Tertia. Inanis gloria.

Quarta. Variæ illusiones, & transformationes dæmonum in Angelos lucis.

Quoad primam aggressionem (de qua tantum in hoc Capitulo) Statim ac hostis falsis suis argumentationibus incipit te oppetere, continuo, ab intellecetu ad voluntatem te transferas, & dicas:

*Vade retro Satana pater mendaciorum: quia nec aures ad te inclinare volo; siquidem mihi credere satis est, id, quod a sancta Matre mea Romana Ecclesia, revelante Numine, creditur.*

Hinc neque admittas, fili, si fieri potest, cogitationes adversus Fidem, quamvis tibi familiares, & benevolæ videantur: sed eas pro diaboli motibus habeas, per quos malignus ille hostis prælium suscitare quærerit adversus te.

Quod

Quod si fortasse tempus tibi deficiat necessarium, ut mentem in tutum asylum advoces, fortiter, constanterque resistē, ne rationibus, vel sacræ Scripturæ auctoritatibus (quas afferet adversarius) assentiaris, omnes enim, vel mutilatæ, vel male adductæ, sive non recte interpretatæ semper objicientur, quamvis optimæ, claræ, atque evidentissimæ tibi videantur.

Si vero callidissimus hostis a te reposceret, quid Romana credat Ecclesia? ne illi respondeas, sed ejus agnoscens fallaciam, sciensque, quod te decipere studeat in verbis, elice actum intrinsecum vividioris Fidei; seu etiam, ut a suamet rabie hostis dilaceretur, responde, quod sancta Romana Ecclesia veritatem credit; cui, si adhuc adderet ille aliquid, peteretque, quænam sit hæc veritas, tu iterum, atque iterum repete: illud omnino veritas est, quod Romana eadem mea Mater Ecclesia profitetur, & credit.

Super omnia tamen intentum, fixumque semper serva cor tuum ad Crucifixum Jesum, & dic *Deus meus, Deus meus, Creator, & Salvator meus, cito mihi succurre; ne discedas, quæso, a me, Domine, ne ego quoque discedam a sanctæ Fidei Catholicae veritate: Placeat tibi, rogo, mi Jesu, ut in hac vera Fide, (sicuti ob maximum tuam gratiam natus sum) dies mortalis vitæ meæ conficiam: & ad sempiternam tuam gloriam decumbam.*

## CAPUT LXV.

*De secunda aggressione, nempe de desperatione,  
ejusque remedio.*

**A**ltera aggressio, qua dæmon impiissimus co-natur nos atterere, est horror, quem nobis inicit per recordationem iniquitatum nostrarum, ut in profundum desperationis pro-labamur.

Hoc in periculo, infallibili hac nitaris regula: tunc scilicet cogitationes de peccatis tuis, tum a gratia divina, tum ad salutem esse, cum in te producunt humilitatem, dolorem de offensa Dei, atque confidentiam in ejusdem bonitate. Quod si te inquietum efficiunt, & ad diffidentiam, pusillanimitatemque compellunt, licet de rebus veris videantur, atque efficaces appareant ad persuadendum tibi, quod sis damnatus, quodque tempus salvationis prote amplius non detur, omnes communis deceptoris effectus esse indubitanter existima; propterea magis te humilia, magisque in Deo confide. Hoc quippe modo si feceris, adversarium ipsiusmet armis devinces, honoremque Domino tribues non exiguum.

Hinc cupio quidem, ut doleas de offensa Dei, quoties illius recordaris: sed tamen volo etiam, ut remissionem, atque indulgentiam petas ab eodem Deo cum confidentia in ipsius passione, ac morte.

*Quinimo attende ad id, quod dico fili, etiam si tibi videretur, quod assereret Deus ipse, te inter oves suas non numerari, non debes idecirco amittere fiduciam in illo: sed potius ei humiliter respondere hunc in modum: Magna causa tibi est, fateor, Domine, ut pro peccatis meis me reprobes: sed majorem ego longe invenio in pietate tua, ratione cuius mihi ignoscas.*

Quapropter a te enixe flagito, Domine salutem hujus miseræ creaturæ N. vere a malitia sua damnatae: sed per sanguinem tuum quoque pretiosissimum redemptæ. Volo salvari per te, Redemptor meus, ad gloriam tuam. Quare maxima cum fiducia me in piissimas tuas manus totum commendabo. Fac de me, quidquid tibi placet: quia tu unicus es Dominus meus, & Deus meus; & quamvis me occideres, virides nihilominus semper, vividæque spes meæ conservabuntur in te.

## CAPUT LXVI.

*De tertia aggressione, id est de inani gloria.*

**T**ertia aggressio est inanis gloriæ, seu præsumptionis. Quare:

Ante omnia, ne permittas unquam, ut ad tui ipsius, vel operum tuorum complacentiam, vel minimam, deducaris: sed complacentia tua pure in Domino, in ipsius misericordia, nec non in operibus vitæ, & passionis ejus constituta sit.

Humilia te nihilominus semper in oculis tuis, usque ad ultimum spiritum; & eujusque boni operis, quod menti tuæ objiciatur, solum Deum pro Auctore recognosce. Recurre quidem ad ejus auxilium; sed illud nunquam expectes ob merita tua, quamvis hostem egregie profligasses, & in multis, magnisque pugnis exuperasses. Tum sancto nixus timore ingenue semper fatearis, quod cuncta tua munimina, inania, atque inutilia forent, si te Deus non protegeret sub alarum suarum umbra: in cuius unica subventione tota tua confidentia figenda est.

Fili, si monita mea observaveris, hostes tui prævalere non poterunt adversus te: sed latissima tibi via pandetur, qua tute valeas ad cœlestem Jerusalem pervenire.

## CAPUT LXVII.

*De quarta aggressione, scilicet de illusionibus,  
falsisque imaginibus.*

Dilekte fili, si tandem communis hostis noster (qui nunquam nos affligere desinit) sub fallacibus imaginibus, nec non transfiguratus in lucis Angelum aggrederetur te, constans nihilominus, ac imperterritus in tui ipsius, tuæque nullitatis agnitione persevera, tum corde magnanimo dic illi: *Redi, redi ad tenebras tuas infelix Satana: nam ego non mereor has visiones, nec alterius indigeo rei, præterquam misericordiæ Dei, precum Mariae Virginis,*

*ginis, sancti Josephi, sanctæ Annæ, cæterorumque Sanctorum.*

Si vero prædicta omnia, ob multa, & ferme evidētia signa, res a Cœlo demissæ, vide-rentur tibi, eas nihilominus a te, quo plus poteris, rejice, & repelle. Neque timeas, quod repugnantia hæc in indignitate, & exili-tate tua fundata possit aliquando Domino di-splicere. Nam, si ea vere a Domino fuerint, optime ipse sciet; quid agere debeat, & tu ni-hil omnino per illa amittes. Siquidem, qui humilibus dat gratiam, illam ab iisdem non aufert propter aditus, qui eliciantur humili-tatis.

Hæc sunt, fili, communiora arma, qui-bus hostis noster uti solet in extremo, acerri-moque certamine adversus nos. Quemlibet tam-en etiam impedit diabolus juxta propensiones particulares, quibus eum magis deditum esse cognoscit. Idecirco priusquam hora accedat magni Conflictus, opus est, ut contra affectus, & motus, qui acriores sunt, magisque reg-nant in nobis, bene armis instituamur: & for-titer, viriliterque certemus, ut facilior esse possit victoria eo tempore, quo nobis tempus omne surripietur ad hoc idem agendum.

*Pugnabis contra eos usque ad internectionem.*


i. Regum 15.





## LIBER SECUNDUS.

### A D D I T A CERTAMINI SPIRITUALI.



#### CAPUT I.

*Quid sit Christiana Perfectio?*

**D**ilecte Fili, ne frustra in Exercitiis Spiritualibus labores, ut multis contigit: & ne pergas, quo nescis, prius scire debes: Quid sit Christianæ vitæ perfectio?

Christianæ vitæ perfectio nihil aliud est, quam observantia præceptorum Dei, & ejus Legis: ut soli Deo placeamus, absque eo, quod ad dextram, vel sinistram declinemus, seu retrorsum nos convertamus. *Et in hoc consistit totus homo.* Igitur meta totius vitæ Christiani hominis, qui perfectus fieri cupit, debet esse perpetuum studium, quo talem in se efficiat habitum, ut quotidie obliviscatur propria voluntatis, ipsamque ita negligat, ut omnia operetur, tanquam a sola Dei voluntate motus, & propter hunc solum finem, ei placendi, honoremque ipsi impertiendi.

## CAPUT II.

*Quod pugnare oporteat, ut Christiunam Perfectionem consequamur.*

**P**aucis verbis illud multum, quod hic intendimus, dictum est: verum id ipsum facere, ac exequi. *Hoc opus, hic labor est:* Quia cum regnet in nobis propter primorum Parenterum culpam, nec non ob nostros malos habitus lex quædam opposita Divinæ Legi, opus est contra nos ipsos pugnare; quin etiam contra mundum, & dæmonem, qui bella nobis excitant, ac prosequuntur.

## CAPUT III.

*De tribus rebus, quibus indiget nouus Christi miles.*

**I**nfinuato jam Certamine, tria tibi, Christi miles, necessaria sunt: Animus ad pugnandum resolutus, & una generosus: Arma, & Peritia in iisdem armis tractandis.

Resolutionem ad pugnandum acquires ex sequenti consideratione, quod, *Militia est vita hominis super terram*, quodque certamen nostrum spirituale pro lege habet, ut moriantur certissime, qui in eo non pugnat.

Generositatem vero animi consequeris:  
Primo, per Dissidentiam tui ipsius.

Secundo, per Confidentiam in Deum adeo firmam, ut pro certo credas, ipsum Deum intra te esse, ut a periculo te cripiat.

Debes igitur pro indubitatio habere , quod quotiescumque tu diffisus de tuis viribus , atque sapientia , confidenter ad omnipotentiam , sapientiam , ac bonitatem divinam confugeris , pugnando , victoriam reportabis.

Arma sunt , Resistentia , & Violentia , de quibus , sicut & de arte tractandi ipsa arma in sequenti Capitulo agemus.

#### CAPUT IV.

*De Resistentia , & Violentia , nec non de arte adhibendi arma in Certamine Spirituali.*

**R**esistentia , & Violentia , etsi arma sint , quæ nos affligunt , sunt nihilominus necessaria , nobisque victorias pariunt.

Tractantur autem hæc arma sequenti modo :

Cum a corrupta , & male propensa voluntate tua , aut a malis habitibus (ne ea velis , & facias , quæ Deus vult ) impugnaris , debes resistere , dicendo : *Vere , vere hoc volo facere.*

Cum eadem resistentia te oportet malorum habituum stimulis , corruptæque voluntatis tuæ incitamentis , ubi ab ipsis vocaris , & traheris , dicendo nimirum : *Non hoc faciam : semper obtemperare voluntati Dei cum ejus auxilio volo.* Heu ! mi Deus , cito mihi succurre , ne hæc voluntas , quæ propter gratiam tuam reperitur in me ad voluntatem tuam faciendam , in occasionibus postea occurrentibus ,

a ve-

a veteri , ac male disposita voluntate mea suffocetur.

Quod si afflictionem interius senseris , atque voluntatis debilitatem quodlibet violentiae genus tibi inferre debes , in mente tua semper habens , quod *Regnum Cælorum vim patiatur , quodque violenter agentes contra se , & suos animi motus rapiant illud.*

Si vero violentia tam gravis ad ferendum tibi foret , ut cor tuum affligeretur , perges cogitatione ad Christum in horto : associansque angustias tuas doloribus ejus , ipsum roga , ut virtute suorum dolorum , victoriam tui ipsius tibi concedat , ut ex vero corde dicere possis cœlesti Patri: *Non sicut ego volo , sed sicut tu , fiat voluntas tua.*

Hinc postmodum inclinabis magis voluntatem tuam ad illam Dei , ita , ut ea velis , quæ ipse Deus te velle cupiebat.

Omne studium tuum impendes , ut quemlibet actum cum tanta voluntatis plenitudine , ac puritate , efficias , ac si in eo tantum tota perfectio , & Dei beneplacitum , ac honor consisteret ; atque hoc modo cætera's omnes actiones tuas efficies .

Insuper recordatus , te quandoque aliquod Dei præceptum transgressum esse , doleas de transgressione , majoremque vim resume , ad obediendum Deo in eo præcepto , quod eo tempore præ manibus tibi est , imo in quocunque alio , quod tibi in posterum proponetur .

Hic vero advertas, ne ullam unquam prætermittas occasionem, licet minimam, obediendi Deo; si enim obediens Deo fueris in minoribus, ipse etiam novam gratiam præstabit tibi, ut cum facilitate in majoribus ei valeas obedire.

Affuescas itidem, ubi in mentem tibi venit aliquod ex divinis præceptis, prius Deum adorare: dein ipsum exorare, ut tibi pro opportunitate succurrat, ad præstandam illi obedientiam.

### CAPUT V.

*Quod vigilare perpetuo debeamus supra voluntatem nostram, ut agnoscamus, cuinam ex passionibus eadem voluntas addicta sit.*

**R**ecolleitus in te maneas fili, quo plus potes, ut scias, cuinam ex passionibus voluntas tua magis propensa sit; ab illa siquidem magis quam a cæteris voluntas decipi solet, & mancipari.

Quare cum, ut plurimum, non inveniatur hominis voluntas absque aliquarum nostrarum passionum societate: opus est, ut ipsa, aut amet, aut odio habeat: aut desideret, aut fugiat: aut lætetur, aut mæreat: aut speret, aut desperet: aut timidia sit, aut audax: aut mansueta, aut iracunda.

Ubi vero eam inveneris inclinatam non ad voluntatem divinam, sed ad proprium amorem; stude, ut ab illo in amorem Dëi propen-

pendeat, nec non in observantiam præceptorum ejusdem Dei, atque Legis ipsius.

Quod quidem agendum tibi est, non solum contra motus magni momenti, qui ad peccata mortalia instigant, verum etiam contra illos, qui faciunt, ut in venialia prolabamur: hujusmodi enim motus; licet leves, & exigui sint, ac paulatim operentur, infirmos nihilominus nos detinent, & absque virtute, quando voluntarii sunt; quinimo magnum secum ferunt periculum, ut in peccata mortalia ruamus.

## CAPUT VI.

*Quod, ubi sublatus est amor noster erga creaturas, & nos ipfos, ac D<sup>e</sup>o donatus, • quidquid aliud bene se habeat.*

**D**ilecte fili, ut breviter, ac ordinate voluntatem tuam liberes ab inordinatis passionibus, necesse est, ut, quantus es, totum te tradas ad vincendum, & moderandum primam & principaliorem passionem tuam, quæ est amor tui ipsius: hac quippe moderata, cæteræ omnes eam sequentur iisdem passionibus, cum ex illa oriantur, & suas in ea habeant radices, ac vitam: sicuti discurrenti clare innotescet; illud enim solum concupiscitur, quod amatur, atque isto tantum omnis homo delectatur. Tum illud etiam solum odio habetur, aut cavetur, & nos contristat, quod impedit, offenditque rem a nobis dilectam. Neque aliud unquam speratur, quam res amata.

Quare

Quare de re aliqua desperamus , ubi difficultates nobis insuperabiles , ac invincibiles videntur ad eam consequendam : neque quis timet , aut audet , aut indignatur , nisi cum eo , quod impedit , aut offendit allaturum est rei dilectæ.

Modus vincendi , & moderandi supradictam primam passionem nostram , est , considerare rem , quam ipsa amat , & in quam ipsa inclinat : tum ejus qualitates : quidve in ea inclinatione , ac amore ab eadem passione intendatur.

Inveniens vero esse cupiditatem , exempli causa , pulchritudinis , bonitatis , delectationis , aut utilitatis , tibi ipsi dicere poteris : *Quænam major pulchritudo , & bonitas inveniri potest , quam illa Dei , quæ est unicus fons totius boni , ac perfectionis ?*

Quam cupiditatem utilitatis , ac delectationis imaginari nobis possumus majorem , quam Deum amare , si , ipsum amando , homo transformatur in illum , eoque toto delectatur , ac fruitur ? Insuper , cor hominis ad Deum spectat , quia Deum spectat , quia Deus illud creavit , redemit , & quotidie per nova beneficia ipsum poscit , dicens : *Fili , præbe mihi cor tuum.* Itaque , cum totum cor humanum ad Deum pertineat ob tot rationes , quæ inferius adducentur , cumque valde exiguum , & impotens sit cor nostrum ad satisfaciendum obligationibus , quas Deo habemus , debet quilibet vigilantissimus , & diligens esse , ne aliud amet ,

quam

quam Deum, & res illas, quæ ipsimet Deo placent, & quidem cum illo moderamine, & modo, quem Deus cupit.

Eadem diligentia etiam adhiberi debet cum hæc duo sint fundamentum ædificii perfectionis, contra passionem odii, ne a corde nostro aliud odio habeatur, quam peccatum, & id, quod ad peccatum inducit.

## CAPUT VII.

*Quod oporteat voluntati humanae succurrere.*

**Q**uia vero voluntas nostra, utpote passionibus subiecta, valde debilis est ad resistendum, atque ad superandum easdem passiones suas, ut illas subdat Deo, ejusque obedientiæ; (sicut bene ostendit experientia; nam licet voluntas nostra desideret, & proponat, se mortificare, nihilominus, in occasionibus occurrentibus, a propriis passionibus suffocata; quocunque bono desiderio, & propolito neglecto, iisdem se dedit) ideo opus est, nedum voluntati nostræ subvenire, atque auxiliari, cum occasio sese objicit; verum etiam mature hoc ipsum peragere, ut vires contra se ipsam assumens vincat, & liberet se a suarum passionum servitute, præstando se totam Deo, ejusdemque Dei beneplacito.



## CAPUT VIII.

*Quod per victoriam mundi voluntati hominis magnopere subveniatur.*

**Q**uandoquidem excitantur, viresque suas accipiunt passiones nostræ a mundo, atque a rebus ejus, dum ipse nobis ostendit divitias, honores, atque voluptates suas, manifeste consequitur, quod, despecto mundo una cum rebus ejus, hominum voluntas valeat respirare, & alio se vertere; ipsa enim esse nequit absque amore, & delectatione.

Modus despiciendi mundum, est, intime considerare: quid vere sint in se ejus res, & promissiones; in quo, ne erremus: obcœ ati forsitan ab aliqua passione nostra, sumemus, ob totius considerationem, atque conclusionem, id, quod refert sapientissimus Salomon, qui rerum omnium experientia pollebat: *Vanitas*, ait ipse, *vanitatum*, *& omnia vanitas*, *& afflictio spiritus*. Veritatem hanc quotidie experimentur, quoniam, cum hominis cor saturari desideret, quamvis aliquando habeat, quidquid antea cupiebat, non modo non saturatur, sed majori fame indies torquetur: hocque nulla alia de causa accidit, nisi, quia, cum rebus terrenis pascatur, umbris, somniis, vanitatis, atque mendaciis pascitur: quæ omnia nullum afferunt nutrimentum.

Mundi promissiones falsæ omnes, atque deceptionibus plenæ sunt. Unum pro alio promittit;

mittit; felicitatem enim promittit, datque inquietudines: sæpe promittit, & sæpiissime nihil dat. Dat, & cito aufert; ubi autem cito non aufert; magis affligit sibi addictos, qui cupiditates suas in luto repositas habent. Ad istos vero homires optime dici potest: *Filiī hominum, usquequo gravi corde?* Ut quid diligitis vanitatem, & queritis mendacium? Sed concedamus etiam deceptis hujusmodi rerum terrenarum sectatoribus, quod bona apparentia istius mundi sint vera bona: quid dicent de celeritate, qua vita hominis præterit? Ubi sunt felicites? Ubi honores? Ubi superbie Principum, Regum, atque Imperatorum? Nonne transierunt?

Modus ergo, quo vincas mundum usque adeo, ut ipse a te abhorreat, & tu ab ipso: seu ut ipse tibi crucifixus sit, tuque illi, hic est; ut antequam voluntas tua ei adhæreat, primo te ipsi opponas per profundam considerationem vanitatum; atque mendaciorum ejus: ac deinde per voluntatem. Ita enim, cum neque voluntati, nequi intellectui passiones dominarentur, facile ipsum mundum contemnes. Tum cuicunque creaturæ, quæ tibi sese offerat, dicere poteris: *Eſ ne tu creatura?* Tolle, tolle iniquitatem tuam, nam ego in creaturis Creatorem, & spirituale, quod in iisdem est, non corporale requiro.

Illud inquam inquiero, quod tibi donat operationem, & virtutem; non autem te volo, imo neque amare te cupio.

## CAPUT IX.

*De secunda voluntatis subventione.*

**S**ecunda humanæ voluntatis subventio in eo consistit, ut principem tenebrarum diabolum ejiciamus foras, tanquam auctorem cūjusvis inordinati irritamenti passionum nostrarum.

Ejicitur vero foras hic hostis, ac vincitur, quotiescumque nos concupiscentias, atque inordinatas cupiditates nostras vincimus, & triumphamus.

Itaque si cupis, quod diabolus fugiat a te, resiste passionibus tuis; hæc enim est resistentia, quam Divus Jacobus innuit, ut diabolo faciamus.

Hic autem advertendum est, quod diabolus aliquoties ita nos aggreditur, carnis concupiscentiam, atque passiones excitando, & accendendo, ut miseri nos videamur ad cedendum compelli: sed hoc timendum non est. Resiste magnanimitter, & pro certo habeas, quod Deus tecum est, ne tibi fiat injuria resiste, inquam, perseveranter: quia per perseverantiam infallibiliter hostem vinces, & consterabis.

Dixi, perseveranter, quia non sufficit, ut semel, bis, vel ter ei resistas: sed quotiescumque ille tentaverit te, consuetudo enim dæmonis est, immittere die subsequenti tentationes illas, quæ effectum suum antecedenti die non habue-

habuerunt: imo hebdomada alia id procurare, quod in transacta non obtinuit. Atque ita magna cum patientia perseverat de tempore in tempus; & quidem modo per furorem, modo per dexteritatem aggrediens, donec victoriam consequatur.

Quapropter constantes nos esse, cum armis semper praे manibus necesse est: neque fidere unquam debemus, quod multoties viceimus, maxime quia hominis vita est continuum Certamen, cuius victoria non consistit in hac, vel illa die, sed in omnium nostrorum dierum fine.

Quod si propter hoc affligeris, scito fili, quod majorem, quam tu, patitur afflictionem diabolus, cum nos ei resistimus. Quare protu animi consolatione dici illi potest: Perge dæmon ad pœnam: sed, quia tu illa affligeris propter impietatem tuam, ego autem, ne Dominum Deum meum offendam, pœna tua erit æterna; mea vero propter Dei gratiam, in æternam pacem immutabitur.

## CAPUT X.

*De temptationibus Superbiæ spiritualis.*

In præcedenti Capitulo locutus sum de temptationibus, quas diabolus solet nobis causare mundi honoribus, divitiis, atque delestatibus: sed modo tecum loquor de temptationibus superbiæ spiritualis: propriæ nostræ complacentiæ: atque inanis gloriæ: quæ eo per Scupuli Certamen.

P

culo-

**culosior est, quo minus agnoscitur, magisque Deo adversatur.**

O quot generosi milites, magnique Dei servi post multorum annorum victorias decepit, atque servos Luciferi fecit Superbia! Effugium terribilis hujus ictus, occultique laquei est, semper trepidare; atque operari bona opera cum timore, ac tremore, ne per occultum aliquem nostri amores, & superbiæ vermem corrodantur, atque odibilia Deo reddantur. Quamobrem debemus nos in iis semper humiliare, atque studere, ut magis, ac magis meliora ea faciamus, tanquam si nihil antea operati fuerimus. Quando autem nobis videatur (quod nunquam credendum est) nos bene omnia fecisse, oportet, ut toto ex corde intra cor ipsum dicamus: *Servi inutiles sumus.*

Super omnia vero recurremus sæpe ad Christum, ut, liberando nos a quacunque superbia, doceat, juvetque nos, ut humiles ex corde esse possimus. Tum sæpe itidem recurremus ad humillimam Dei Matrem, ut veram nobis impetrat humilitatem, quæ est fundamentum virtutum, istasque anteit, & concomitatur, efficitque, ne amittantur, sed augmententur magis, magisque obfirmentur in nobis.

De hac materia, cum multum in Spirituali Certamine loquutus fuerim, nihil aliud subdo.



## CAPUT XI.

*De tertia voluntatis humanae subventione.*

**T**ertia subventio, qua sæpiissime humanæ voluntati succurrere oportet, est Oratio, per quam assuescere adeo debes in eo, in quo invaderis, ut statim ad Deum confugas dicens: *Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina.* Certamen tuum igitur erit per orationem, ac resistentiam, ita tamen, ut semper in Dei præsentia consistas, nixus tui ipsius diffidentia, nec non confidentia in ipsum Deum. Si enim hoc modo pugnaveris, certam tibi victoriam promittas.

Quid namque non superat, ac vincit oratio! quid non repellitur a resistentia nostra cum diffidentia tui ipsius, & confidentia in Deum?

A quoniam enim subjugari potest, qui semper cum Deo incedit, animo ipsi soli placendi?

## CAPUT XII.

*Quod agere debeat homo, ut habeat, quoties vult, præsentem Deum?*

**U**t consuetudinem obtineas præsentia Dei, quotiescumque volueris, semper cogita, quod ante te celatus adest Deus, qui te aspiciat, & quamcumque cogitationem, atque opus tuum scrutetur.

Seu etiam puta, creaturas omnes, quas vides, esse velut cancellos, per quos abscon-

ditus Deus te intueatur, ac aliquando dicat:  
*Petite, Et accipietis; omnis enim, qui petit, accipit: Et pulsanti aperietur.* Poteris quoque præsentem tibi credere Deum, cernendæ creaturas, in quibus, quidquid corporale est, præteriens, perges cogitatione ad Deum, qui eis esse, motum, atque virtutem omnem ad operandum concedit.

Cum ergo orare volueris, pugnando, vel aliquid aliud agendo, te Deo præsenta, aliquo modo ex supradictis. Tum ipsum ora, atque auxilium & juvamen instanter ab eo flagita. Scito autem, devote fili, quod, si familiarem Dei præsentiam habueris, victorias, atque thesauros innumeros reportabis. Inter cætera vero omnia præcavebis motus, cogitationes, verba, & opera, quæ in præsentia Dei fieri dedecet, & vitæ Filii ejus conformia non sunt.

Tum ipsamet Dei præsentia virtutem tibi donabit, ut possis semper in ejusdem Dei præsentia incedere.

Quod si a præsentia, atque vicinitate agentium naturalium, quæ sunt virtutis finitæ, ac limitatæ, ipsorum qualitas, atque virtus a nobis contrahitur; quid dicendum erit de infinita Dei præsentia, quæ est infinitæ virtutis, atque inenarrabiliter communicabili?

Præter supradictum modum orandi, *Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina*, quo uti possumus in quaunque nostra necessitate, orare etiam non abs te erit aliis peculiaribus modis: exempli gratia,

cia, si desideraveris cognoscere, & facere voluntatem divinam, oratio tua erit una ex sequentibus: *Benedictus es Domine: doce me facere justificationes tuas. Deduc me Domine in semitam mandatorum tuorum. Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas!* &c.

Ut vero postules a Deo, quidquid ab eo postulari potest, eique placet, ut nos petamus, Oratione Dominicali uteam, quam toto cum cordis tui affectu, omnique cum animi tui attentione recitare opus est.

## CAPUT XIII.

*De aliquibus monitis circa orationem.*

**P**rimo. Advertere debes, orationes (non loquor hic de meditationibus, de quibus infra dicemus) breves esse debere; & quidem modo supradicto factas, verum frequentes, ac plenas desiderio, atque fiducia actuali, quod Deus tibi sit subventurus, nisi ea, qua cuperes, ac velles, meliori tamen subventione, nec non tempore oportuniori.

**S**ecundo. Fac, ut semper actualiter, vel saltem virtualiter cum una ex sequentibus clausulis conjungantur: *Propter bonitatem tuam. Secundum promissiones tuas. Ad honorem tuum. In nomine dilecti Filii tui. In virtute passionis ejus. In nomine Marice Virginis, Sponsæ, ac Matris tue.*

**Tertio.** Quandoque addantur etiam orationes jaculatoriae: exempli gratia: *Concede mihi Domine amorem tuum, in nomine dilecti tui. Quando erit, Domine mi, tempus illud, quo prædictum amorem tuum obtinebo?*

Quod quidem fieri potest post quamcunque petitionem Orationis Dominicalis, vel etiam p<sup>r</sup>st omnes alias, uti, *Pater noster, qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum: sed quando, celestis Pater, nomen tuum in omni terrarum Orbe agnoscetur honorabitur, & glorificabitur?* Atque ita post cæteras omnes.

**Quarto.** Fac ut flagitans virtutes, & gratias, consideres s<sup>p</sup>ape virtutum pretium, tuamque indigentiam: magnitudinem Dei, ejusque bonitatem: ac tandem merita illius, qui poscit; hoc enim modo, majori cum affectu, ac desiderio petes; quin etiam cum reverentia, confidentia, atque humilitate meliori. Denique considerandus est finis petitionis nostræ, ut Deo placere possimus, & honori ejus famulari.

#### CAPUT XIV.

##### *De alio modo orandi.*

**P**otes perfectissime quoque orare in Dei præsentia cum sola cogitatione, absque eo, quod aliud dicas, nempe ejaculando in Deum, præsignatis temporibus, suspiria: tum convertendo in ipsum oculos tuos, atque cor cupidum ei placendi, nec non breve, ac ardentissimum

simum desiderium, ut tibi succurrat: & hoc totum semper operans, ut ipsum Deum pure ames, & honores, atque ut illi soli inservias.

Vel etiam cum hoc alio desiderio, ut scilicet gratiam a te in præcedentibus orationibus postulatam concedat tibi.

## CAPUT XV.

*De quarta voluntatis humanae subventione.*

**Q**uarta voluntatis nostræ subventio est, amor divinus, qui succurrit, ac fortem, & constantem adeo reddit voluntatem nostram, ut nihil inveniatur, quod ipsa per illum non possit: nullaque passio, aut cogitatio assignari queat, quam eadem non vincat.

Modus consequendi amorem istum, est, oratio, per quam illum sæpe a Domino postulabimus; tum etiam meditatio; meditando scilicet puncta illa, quæ apta sunt, una cum Dei gratia, ad eundem succendendum in cordibus humanis, licet valde terrenis. Talia sunt, si mediteris:

**Q**uis sit Deus. Quæ, & qualis est potentia, sapientia, bonitas, & pulchritudo ipsius. Quid fecit pro homine Deus: & quid pro eodem faceret, si opus est. Quo animo fecit, quidquid fecit. Quid quotidie pro ipsomet homine Deus faciat. Dein quid facturus est Deus pro eo in vita æterna, si vivens in terris obediatur præceptis ipsius Dei, tum ut ipsi placeat, tum cum omni mentis puritate.

## CAPUT XVI.

*De meditatione Essentiae Divinae.*

**Q**uid sit Deus, ipse idem, qui perfecte se agnoscit, dixit; cum respondit: *Ego sum, qui sum.*

Tale, ac tantum est hoc Dei prædicatum, ut nulli creaturæ applicari possit: non Princibus, non Reginis, non Imperatoribus, non Angelis, non toti universo; quodcumque enim creatum debet a Deo dependere, cum ex se sit merum Nihil.

Ex hoc autem patet, quam inanis sit homo ille, qui amat creaturem, eisque adhæret, Creatorem in ipsis non diligendo, vel ipsas creaturem non amando, eo modo, quo vult Deus.

Vanus inquam est talis homo, quia amat vanitatem: vanus est, quia putat, se posse satiari rebus illis, quæ ex se Nihil sunt: demum vanus est, quia laborat, ut ea habeat, quæ, cum dant, accipiunt, atque occidunt.

Si ergo vis amare, ut amare oportet, ameritur Deus, qui implet, & omnino saturat corda nostra.

## CAPUT XVII.

*De meditatione Potentiae Dei.*

Jam scimus, quod non solum hæc, vel illa, mundi potentia, sed omnes etiam potentiaæ unitæ simul (ubi voluerint ædificare, non Regna,

na, aut Civitates, sed palatum unicum) variis indigent materiis, atque instrumentis, nec non multo temporis spatio: quæ omnia licet habeat, nullum adhuc ædificium conficiunt juxta voluntatem, atque beneplacitum suum.

Verum Deus per suam potentiam illico ex nihilo totum Universum creavit, & eadem cum facilitate alia infinita creare poterat; tum ea rursus destruere, & ad nihilum pro voluntate sua redigere.

Hoc punctum, quanto profundius meditabimur, tanto magis ex eo novas admirations, atque stimulos eruemus, ut diligamus nostrum Deum, ac Dominum tam potentem.

## CAPUT XVIII.

*De meditatione Sapientiae Dei.*

**Q**uam alta, atque impenetrabilis sit sapientia Dei, non datur, qui comprehendere possit.

Ut nihilominus aliquam de hac habeas cognitionem, converte mentis oculos una cum illis corporis ad Cœlorum ornementum, vel ad terræ pulchritudinem, totiusque Universi; & nihil aliud reperies, quam incomprehensibilem divini Architecti sapientiam.

Verte mentem ad vitam hominum, atque ad varios eventus, qui contingunt; & invenies, quod nihil adeo inordinatum est, ut in conspectu Dei non sit imperscrutabilis sapientia.

Meditare mysteria Redemptionis: atque ea esse altissima plena sapientia comperiens , dicas : *O altitudo divitiarum sapientiae , & scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles vice ejus !*

## CAPUT XIX.

*De meditatione bonitatis Dei.*

**D**ei bonitas est ( sicut & cæteræ omnes infinitæ ejus perfectiones) incomprehensibilis in se ipsa ; si respicimus id , ad quod se profundit, est talis , ac tanta , ut nulla res sit in mundo, in qua non eluceat.

Creatio est a bonitate divina : Conservatio , & gubernatio est ab ipsa una , eademque bonitate divina.

Redemptio tandem ostendit nobis , quod ineffabilis , atque infinita sit bonitas Dei , cum in ea donetur nobis a Deo Filius ejus , in salutem , nec non in cibum nostrum quotidianum intra Sacramentum Altaris.

## CAPUT XX.

*De meditatione pulchritudinis Dei.*

**D**e divina pulchritudine hoc scire omnibus satis est , quod ipsa talis , ac tanta est , ut in ipsa se Deus ab æterno contemplans ( absque eo quod alio se vertat) in capacitate sua infinita incomprehensibiliter satiatus , atque beatus sit.

O mi-

O miser homo , agnosce jam dignitatem , ad quam vocaris a bonitate divina neque amplius duri adeo sis cordis , ut (hac contempta) amorem tuum vanitati , mendaciis , atque inanibus umbris dones.

Te vocat Deus ad amorem potentiae , sapientiae , & bonitatis suae : ad delectationem pulchritudinis suae , nec non ad ingressum gaudii sui , & ad haec surdum te singis ? Cogita , cogita , quæso , res tuas , Fili mi , ne superveniat tibi postea tempus , in quo tibi pœnitentia tua nihil profit.

## CAPUT XXI.

*Quid fecit Deus pro homine , & quo animo , ac quid insuper faceret , si opus esset.*

**Q**uid fecit Deus homini , & propter hominem , per meditationem Creationis , & Redemptionis agnosci potest. Animus deinde , quo illud fecit , & quo salutem ejusdem hominis operatus est , infinitum exuperavit.

Infinitum (verum est) fuit pretium Redemptionis : sed major adhuc animus fuit , quia magis , magisque pati voluisset , nec non saepius mori , si oportuisset.

Si igitur ; Fili mi , pro Redemptione totum te ipsum debes Deo vicibus infinitis , & quid debes eidem Deo propter addictissimum erga te animum , qui longe excedit , & superat Redemptionem ipsam.

## CAPUT XXII.

*Quid facit Deus quotidie propter hominem.*

**N**ulla dies, imo nullum momentum datur, in quo nova beneficia non recipiat homo a Deo.

Quotidie enim, & in quocunque momento Deus hominem creat, cum ipsum, in suo esse conservat.

Omni momento Deus homini deservit per creature suas, nempe per Cœlum, aërem, terram, mare: & per quamcunque aliam rem, quæ in iisdem est.

Quotidie Deus donat homini gratiam suam, eum vocans a malo ad bonum per internas inspirationes ipsumque custodiens, ne peccet; peccantem vero adjuvans, ne peccata rursus committat, tum illum exspectat, & ad pœnitentiam allicit: venienti autem citius ignoscit, quam ipse met homo velox sit ad inquirendam veniam.

Denique quotidie ei mittit Filium suum, una cum divitiis omnibus mysteriorum Crucis quinimo eundem Filium semper in Sacramento Altaris pro illo paratum habet.



## CAPUT XXIII.

*Quam magnam bonitatem ostendat Deus, expeditando, & tolerando peccatorem.*

**U**t agnoscas, Fili, quantum bonitatis ostendat Deus, sufferendo peccatorem; considera, quod, sicuti Deus indicibili modo virtutem amat, ita e contrario infinite vitium odit.

*Quænam igitur bonitas a Deo non ostenditur, cum sustinet peccatorem, qui ante oculos puritatis, & divinæ majestatis suæ multa perpetrat scelera; non semel, & bis, aut ter, sed centies, & millies?*

Hinc: *Ah quam bene percipio (dicerè potest peccator) Domine mi, quod, quando peccabam, mihi dicebas ad cor: Videbimus, quis vincet ex nobis, vel tu in offendendo me, vel ego in partendo tibi!*

Hoc, si bene consideratum fuerit, credo, quod (gratia Dei auxiliante) cor peccatoris, accendet, ut cito ad Deum convertatur. Quod si per istud non convertitur, paveat valde peccator imperscrutabilia judicia Dei, a quibus provenire solent i&ltus vindictæ citissimi, terribiles; & sine ullo remedio.

## CAPUT XXIV.

*Quid facturus sit in vita æterna Deus, non solum illi, qui semper divinæ Majestati suæ est simulatus, verum etiam peccatori converso:*

**S**unt tot, & tales favores, atque felicitates, quæ in cœlesti Patria a Deo nobis donantur, ut hic in terris eas excogitare nequeamus: Imo neque clare, & perfecte concupiscere valeamus. Quis forsan percipere bene poterit, quid sit, sedere hominem ad mensam Dei, sibiique a Deo ministrari, ac cibum divinæ beatitudinis participari? Quis sibi unquam imaginabitur, quid sit, beatas animas in gaudium ingredi Domini sui? Quis amorem comprehendet, atque aestimationem, quam Deus cibis suis ostendet? De qua diuus Thomas loquens ait in Opusc. 63.

*Deus omnimotens singulis Angelis sanctisque animabus in tantum se subjicit, quasi sit servus emptitius singulorum, quilibet vero ipsorum sit Deus suus.*

*O Domine! o Domine! qui saepe profundo meditatur opera tua erga creaturas, vere adeo inebriatum ab amore te reperit, ut tota beatitudo tua videatur consistere in amando, juvando, cibandoque illas te ipso.*

*O Domine, da, queso, nobis considerationem prædictam adeo familiararem, ut dein amemus Te, & amando, idem fiamus, ac Tu, per unionem amoris tui.*

Eja humanum cor , quo volas ? ad umbram ?  
 ad nihilum ? Deum relinquens , qui est omnia ?  
 an non Deus Omnipotens ? an non Deus Sa-  
 pientia ? an non Bonitas ineffabilis ? an non  
 pulchritudo increata ? An non summum bo-  
 num ? an non Pelagus infinitum uniuscujusque  
 perfectionis ? Deus erga te insequitur , & altis-  
 simo clamans vocat te non solum communibus,  
 & antiquis beneficiis , sed etiam peculiaribus  
 semper , & novis.

Scis ne unde nascatur tantum tuum malum ?  
**Quia non oras quia non meditaris :**

Cum enim absque luce , & calore perma-  
 neas , mirum non est , quod te a tenebrarum  
 operibus non removeas.

Ingridere , ingredere jam , o Fili , o tepi-  
 de religiose in palestram prædictæ medi-  
 tationis , & orationis , & in ipsa exerciattus  
 redditus , disces , quod verum Christiani , &  
 religiosi hominis studium , sit , negare volunta-  
 tem propriam , ut faciat illam Dei odisse se  
 ipsum , ut Deum diligit ; quodque cætera om-  
 nia studia absque hoc (etiamsi forent studia om-  
 nium scientiarum) nihil aliud sint , quam spiri-  
 tus præsumptio , atque superbia ; quanto enim  
 magis intellectum illuminant , tanto amplius  
 voluntatem obsecrant in ruinam illarum ani-  
 marum , quæ resurgent ab illis.



## CAPUT XXV.

*De quinta humanae voluntatis subventione.*

**O**dium nostri ipsorum est necessaria subven-  
tio voluntatis nostræ ; absque isto enim nun-  
quam nobis ministrabitur subventio divini amo-  
ris , qui auctor est totius boni.

Modus obtinendi hoc odium , est : Postu-  
lare ipsum prius à Deo ; tum considerare dam-  
na , quæ intulit ; semperque infert homini amor  
proprius.

Nullum siquidem fuit unquam damnum ;  
neque in cœlo , neque in terra ; quod ab amore  
proprio ortum non fuerit.

Hic proprius , & nostri ipsorum amor tan-  
tæ est malignitatis , ut , si ei possibilis foret in-  
gressus ad cœlum ; illico cœlestis Jerusalem aver-  
nalis Babylon efficeretur. Consideremus ex hoc  
ergo , quid hæc infernalis pestis intra pectus  
humanum faciat in præsenti vita.

Tollatur namque proprius amor a mundo ,  
& protinus inferorum januæ obserantur. Quis  
igitur invenietur ita impius contra se ipsum , ut  
meditans essentiam , qualitates , atque effectus  
amoris proprii , adversus hunc indignatione , &  
odio non excitetur ?



## CAPUT XXVI.

*Quomodo agnoscit amor proprius.*

**D**ilecte Fili, ut cognoscas, quam magnum sit, & quam late se extendat Regnum amoris proprii, inquire saepe, ac investiga, cum qua ex passionibus animæ, magis frequentius occupetur voluntas tua; ipsam enim nunquam solam reperies.

Ubi vero inveneris, quod amet, vel cupiat: sit læta vel mœsta: meditare tunc bene, utrum res dilecta, vel desiderata sit una ex virtibus, aut saltem secundum præcepta Dei. Quod itidem facies de lætitia, & tristitia, querens scilicet, an sit ex rebus illis, de quibus Deus vult, ut nos lætemur, aut tristemur: an vero totum a mundo proveniat, atque ab affectu, quem habet voluntas nostra erga creaturas, eo quod cum illis versatur, non necessitatis ergo, vel quia iisdem indigeat, aut sic Deus velit. Quod si ita est, manifeste quoque apparet, quod amor proprius regnet in voluntate tua; totumque regat, & moderetur. Si vero negotia, atque occupationes voluntatis sunt circa virtutes, & de rebus, quas Deus vult, considerandum insuper est, utrum ad peragenda illa negotia voluntas tua a Dei voluntate moveatur, vel ab aliqua complacentia, & desiderio tuo saepe enim accidit, ut aliquis a quodam desiderio, & complacentia motus diversis operibus bonis vacet: qualia sunt, orationes, jejunia, Communiones, & sanctæ aliæ operationes.

Experimentum istius rei fit duobus modis: Primo: si, voluntas tua in occasionibus, quæ contingunt, indifferenter quæcunque opera non præstat, quæ bona sunt. Secundo, si, impedimentis supervenientibus, lamentatur, inquietatur, atque turbatur, vel, rebus juxta voluntatem suam succendentibus, sibi complacet, & deleatatur. Quod si a Deo mota invenitur, considerandum quoque est, quo, & ad quem scopum magis dirigat operationes suas.

Si enim ipsius scopus est purum beneplacitum Dei, res bene se habent, licet non adeo bene, ut homo securus vivere possit; nimis siquidem subtilis, atque absconditus residet in operibus bonis, nec non in virtutum actibus nostri ipsorum amor.

Cum manifeste appareat crudelissima hæc bestia amoris proprii, persequi eam debemus usque ad mortem quovis majori possibili odio: neque tantum in rebus magnis, sed & in parvis.

De occultis semper suspectus esse debes; quare humilia te, atque semper te recollige intra te ipsum post quamcunque operationem bonam, orans Deum, ut tibi ignoscat, teque a tui ipsius amore custodiat.

Bonum igitur erit, ut maturo mane te convertas ad Dominum, atque confitearis coram ipso, quod mens tua est, non solum nunquam offendendi ipsum, & præcipue illa die; verum etiam faciendi in rebus omnibus voluntatem ejus: Hocque, ut illi soli placeas; de qua re sæpe Deum rogabis, ut tibi semper subveniat, semperque

perque te protegat, ad hoc, ut agnoscas, & ex-equaris, quidquid ei placet, & eo modo, quo illi placet.

## C A P U T XXVII.

*De sexta subventione.*

**A**udire Missam est sexta subventio voluntatis humanæ ; item Communio & Confessio.

Et ratio est, quia, cum gratia Dei sit subventio necessaria, imo principalior voluntatis nostræ, ut caveat a malo, bonumque operetur, consequitur, quod omne id, in quo acquiritur augmentum gratiæ, sit voluntatis subventio.

In prima Missæ parte (in duas namque partes Missa dividitur) quæ incipit ab introitu usque ad offertorium, studebis magnum desiderium in te excitare : ut, sicuti Dei Filius venit e Cœlo, atque in mundo ortus est, eo, quod cupiebat in illo ignem sui amoris accendere, ita dignetur venire, & nasci per virtutem suam in intimo cordis tui : ut istud semper ardeat, quo usque nihil aliud cogites, quam placere Deo in quacunque occasione, non solum dum vivis, sed & in sempiternum.

Cum deinde orationes a Sacerdote dicuntur, accenso cum desiderio postula tu quoque, o Fili, easdem gratias.

Ubi legi incipitur Epistola, & Evangelium, pete, mente ad Deum conversa, intellectum, virtutemque, ut ipsorum sensus intelligas, & omnia observare valeas, quæ in eis sunt.

In secunda parte, quæ est ab offertorio usque ad Communionem, ab omni creaturarum, imo & tu ipsius cogitatione erectum te totum offeras Deo, & cuilibet ejus beneplacito.

Cum vero elevatur Hostia, vel Calix consecratus, verum Corpus, & Sanguinem Christi Domini, una cum tota divinitate in iisdem, humiliatus usquequaque interius, adora.

Contemplans autem ipsum Deum, sub illis panis, & vini accidentibus absconditum, gratias ei amantissimas redde, quod scilicet dignetur quotidie venire ad nos simul cum pretiosissimis fructibus arboris Crucis suæ. Cum ipsa vero oblatione propter eosdem fines, propter quos ipse transfixus manens in Cruce se cœlesti obtulit Patri, offeras Christum ipsum tu quoque eidem Patri.

Deinde, cum Sacerdos Sacramentaliter communicat, spiritualiter quoque te communica, aperiens Domino, claudensque creaturis omnibus cor tuum, ut ipse Deus in eo accendat ignem amoris sui.

In tertia, ac postrema parte, una cum Sacerdote, ipse lingua, & tu mente exposces a Deo id; quod in orationibus post Communione postulatur ab illo.



## CAPUT XXVIII.

*De Communione Sacramentali.*

**D**ilecte Fili, ut per sacram Communionem augmentum gratiæ recipias, necessariæ tibi sunt optimæ dispositiones, quæ, cum haberi a nobis non possint, quales esse deberent, maximo cum animi affectu subsequentem Orationem dicemus:

*Conscientias nostras, quæsumus Domine, visitando purifica, ut veniens Jesus Christus Filius tuus Dominus noster cum omnibus Sanctis suis paratam sibi in nobis iuveniat mansionem. Qui tecum vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.*

Verum, ne prætermittamus, facere id, quod ex parte nostrâ, auxiliante divina gratia, possumus; præparatio tua erit, considerare.

Primo, ad quem finem Christus Dominus instituit sanctissimum Eucharistiæ Sacmentum. Ubi vero agnoveris, quod fuit, ut recordemur amoris, quem nobis in Crucis Mysteriis ostendit: considera insuper, qua de causa voluit, ut memoria hæc in nobis perseveraret.

Ubi autem repereris, quod fuit, ut ipsum diligemeremus, eique obediremus, optima erit nobis præparatio, desiderium, atque accensa voluntas eundem amandi, eidemque obediendi, cum dolore, quod præterito tempore illum ne- dum non amaverimus: sed offenderimus.

Per hoc vero desiderium , atque accensam voluntatem , scilicet ipsum amandi , præparabimus nos usque ad tempus Communionis.

Cum deinde communicaturus es , excitans in te fidem , quod nempe sub illis speciebus panis consecrati adsit verus Agnus Dei , qui tollit peccata , ipsumque profundissime adorans , atque exorans , ut a corde tuo omne peccatum occultum una cum reliquis auferat , illum suscipe cum spe firma , quod amorem tibi suum daturus sit.

Postquam illum acceperisti , atque in cor tuum introduxisti , saepe ab eo postula amorem ejus , & quidquid aliud tibi opus est , ad placendum illi .

Deinde eundem offeres cælesti Patri in Sacrificium laudis , tum propter immensam ejus charitatem , quam nobis ostendit in hoc beneficio , & in reliquis omnibus Redemptionis : tum etiam , ut amorem suum donet , ac tandem propter vivorum , & defunctorum in Purgatorio existentium egestatem .

## CAPUT XXIX.

### *De Confessione Sacramentali.*

**C**onfessio , ut fiat sicut oportet , plura requirit.

Primo , bonum examen conscientiæ circa Dei præcepta , tuumque statum. Agnitis vero peccatis tuis , licet parvis , amare ea fleas , considerans

siderans Majestatis Dei offensionem , nec non ingratitudinem tuam contra ejusdem Dei charitatem , & bonitatem.

Quare te ipsum vituperans , dices contra te ea verba : *Hæc cine reddis Domino stulte , & insipiens ? Nunquid non ipse est Pater tuus , qui possestit te , & fecit , & creavit te ?*

Tum suscitans in te sæpius voluntatem , ostende cupiditatem , quam habes , quod Deus nunquam a te offensus esset , & dic :

*O utinam non offensus a me fuisset Creator meus ! Pater meus cœlestis ! atque meus Redemptor ! sed potius ego quodcumque malum perpetratus essem !*

Dein ad Deum conversus cum erubescientia & fiducia , quod tibi ignoverit , illum ex toto code alloquere , tali modo :

*Pater peccavi in Cælum , & coram Te : jam non sum dignus vocari filius tuus : fac me sicut unum ex mercenariis tuis .*

Tum resumens denuo in te dolorem de offensione divina , cum proposito sufferendi potius in posterum quamcumque pœnam , quam voluntarie Deum offendere , confitere peccata tua Confessario tuo cum erubescientia , & dolore , pure , & candide , sicut patrata sunt ; non solum absque ulla excusatione tui ipsius : sed etiam sine aliorum accusatione .

Post Confessionem gratias Deo reddes , eo quod , licet toties a te offensus fuerit , nihilominus semper promptus ille magis sit ad veniam

tibi donandam , quam tu peccator ad eandem pe-  
tentiam , vel ad ipsam suscipiendam.

Ex quo sumens tu occasionem majoris doloris , quod tam benignum Patrem offenderis , pleniori cum voluntate propone , auxilio ejus-  
dei Dei , Mariæ Virginis , Angeli tui Custodis , nec non alterius Sancti peculiaris tui protecto-  
ris , te non amplius peccaturum contra illum .

### CAPUT XXX.

*Quomodo vinci debeant inhonesti motus.*

**Q**uoscumque alios motus vincimus , vel ipso aggrediendo , vel cum ipsis pugnando (quamvis vulnera pati nobis quandoque opus sit) vel eosdem ad Certamen vocando , quounque eos omnino superemus .

Verum inhonesti motus nedium a nobis ex-  
citandi sunt : sed ab omnibus rebus nos abesse oportet , quæ illos suscitare in nobis possunt . Vincitur siquidem , atque mortificatur inhonestus motus per fugam a quacunque pugna : sed præcipue ab illa , in qua probe cum ipso motu decertandum est .

Quare qui citius fugit , ac distantius , secu-  
riorem habet triumphum . Habitus boni : sin-  
cera voluntas : præterita experimenta : victoriæ obtentæ : consanguinitates : objecta vel exigui  
momenti , seu etiam solius turpis apparentiæ ,  
quæ periculum non minantur imo quodcun-  
que aliud , quamvis firma tibi securitatis pro-  
missio

missio videatur, argumenta bona non sunt, Fili mi, propter quæ fugere prætermittas.

Fuge ergo, dilecte Fili, nisi velis capi, & illaqueari.

Quod si homines aliqui inveniantur, qui in tota vita sua cum periculosis personis (absque eo, quod lapsi fuerint) conversati sint, non spectat ad te hoc judicare, vel inquirere: sed ad secreta Dei judicia. Præterquam quod, ubi multoties non apparent lapsus, ibi magis inveniuntur. Fuge fili, & obedias monitis, ac exemplis, quæ Deus tibi proponit in Sacra Scriptura, nec non in vita tot Sanctorum; imo quotidie in hoc, & illo homine. Fuge inquam, neque retrorsum te convertas, ut videoas, a quoniam objecto fugeris; in hoc enim etiam periculum adest, scilicet retrogrediendi ad objecta illa, quæ reliquisti.

Quod si necesse fuerit cum aliquibus conversari; sit brevis, & velox conversatio tua, ita ut magis rusticitatem ostendat, quam urbanitatem; In hoc namque viscus, flamma, & ignis impurus reperiri, ut plurimum, solet. Quapropter.

Hic optime recensetur dictum aliud: *Ante languorem adhibe medicinam: ne expeches infirmitatem: sed mature fugias ab ea; nam hæc vera nostræ salutis medicina.*

Si vero propter aliquod infortunium, vel fragilitatem in talem infirmitatem incideris, tota salus tua in hoc sita est, ut in eo momento in quo hujusmodi in te sentis infirmitatem, Tu

*teneas, & allidas parvulos tuos ad petram: statim accurendo ad Confessarium, cui, neque minimum crimen veniale celabis circa istud in honestum animi vitium; quia quodlibet vel minimum ex illis, quo magis tegitur, eo magis germinat, & excrescit.*

## CAPUT XXXI.

*A quot rebus fugiendum est, ne in turpe carnis vitium prolabamur.*

**F**uga (ne alæ nostræ visco motuum dishonesti amoris implicentur) a multis rebus esse debet.

Primo & principalius fugere debemus a personis illis, quæ evidens nobis minantur periculum.

Secundo etiam ab aliis, quo melius possimus.

Tertio, a visitationibus, salutationibus, donis, atque amicitiis, licet valde latis: res enim latæ, facilius restringi possunt, quam stricte dilatari.

Quarto a sermonibus hujus vitii dishonesti, a musica, cantilenis, libris, qui vel de eo tractant, vel aliquid secum immixtum de ipso habent.

Quinto (quod a paucis agnoscitur, & advertitur, atque ita minus cavetur) ab universalis delectatione creaturarum: uti sunt vestimenta, & alia varia, quæ tantum ob delectationem habere domi solemus: tum a cibis, diversisque

fisque aliis rebus, quamvis exiguis: hæ enim delectationes, licet, ut plurimum, licitæ sint, nihilominus cor hominis ad majorem semper delectationem assuefaciunt, ipsumque avidum omni tempore conservant ejusdem delectationis. Ex quo dein provenit, ut sese illis offerente inhonesta delectatione (quæ ex natura sua cito ferit, & ossium medullas statim pervadit) difficulter postea cor viam inveniat, quæ ad mortificationem in iisdem delectationibus tendat: cum per illam nunquam antea excurrerit.

Quapropter e contrario corda ad fugiendum a delectationibus etiam licitis assueta, ubi sese illis objectant res illicitæ, ac inhonestæ, statim a solo quoque ipsarum nomine fugiunt, & quidem cum magna facilitate.

## CAPUT XXXII.

*Quid fieri beat, cum in hoc in honestum vitium incidimus.*

**D**ilecte Fili, ubi contigit, vel ob infortunium, vel aliquando etiam ob malitiam, te lapsum fuiss~~in~~ in carnis vitium, opportunum remedium est, (ne peccatum addas peccato) ut statim, & cum omni possibili velocitate curras, etiam non præmisso conscientiæ examine, ad Confessionem, in qua, relictis omnibus humani prudentiis, pleno ore fateris, ac manifestabis totam infirmitatem tuam; acceptans quamcunque medicinam, vel consilium, quod tibi

confessarius dederit, et si amarum foret, imo du-  
rissimum ad ferendum.

Neque moreris, etiam si centum, vel mille  
rationes in contrarium starent, ac tibi moram  
fuaderent; si enim moraris, iterum laberis; ex  
quo dein relapsu aliæ moræ oriuntur; quoniam  
ex moris relapsus, ex relapsibus novæ moræ  
procedentes, efficiunt, ut integri excurrant an-  
ni, antequam confitearis peccatum tuum, &  
libereris ab eo.

Ad conclusionem igitur totius, in materia  
istius inhonesti vitii, te rursus moneo, ut sta-  
tim fugias, nisi labi velis,

Quod itidem observa in cogitationibus etiam  
minimis, quæ te aggrediuntur; illas enim ma-  
gni semper facies; imo non minus eas fugias,  
quam magnas; & licet tibi patenter constaret,  
(ubi ab iisdem fugisti) levia illas esse peccata,  
hæc nihilominus confitere, hostem tuum con-  
fessario manifestans.

Cum vero lapsus es, curre protinus ad Con-  
fessionem, neque unquam permittas te vinci a  
pudore, vel erubescencia.

### CAPUT XXXIII.

*De aliquibus motivis, propter quæ peccator cito  
ad Deum converti debet.*

Primum motivum, ratione cuius peccator de-  
bet ad Deum se convertere, est, considera-  
tio ipsius Dei, qui, cum sit summum Bonum,  
summa

**fumma potentia, sapientia, ac bonitas, ab homine offendendus non est:**

Tum ob prudentiam cum pessima sit ele<sup>ctio</sup>, pugnare cum Dei omnipotentia, & cum supremo Judice, a quo homo ipse judicandus est:

Tum etiam ob convenientiam, ac ob justitiam: cum non sit res tolerabilis, quod nihil, lutum, & creatura vilissima Creatorem suum offendat, servus Dominum, beneficiatus factorem, filius Patrem.

Secundum motivum est, magna peccatoris obligatio cito redeundi ad domum Patris sui: cum filii conversio, ejusque regressus ad patriam domum cedat in honorem patris, & pro hoc tota domus lætetur, nec non vicinia: imo Cœlorum Angeli & Beati.

Sicut enim, ante filius peccando offendit patrem, ipsumque exacerbavit, ita rediens, amarisque lachrymis offensam deflens, cum plena voluntate obediendi eidem Patri in quibusvis præceptis ejus, & in omni alia re, honorem, lætitiamque ei defert; imo illius cor ita ferit, & ad misericordiam excitat, ut non possit pater filium expectare: sed præ cupiditate currere ad ipsum excipiendum cogatur: quo ubi pervenit, super ejus collum decidens, ipsum debet, imo non potest non amplecti, osculari, & veste gratiæ sue, aliquaque donorum ornamenti in duere.

Tertium meum; considerare est ius peccatoris bonus; debet peccator, quod,

si in tempore non convertitur certissime adveniente hyeme, vel sabbato converti non poterit, sed ad inferni pœnas descendet, ubi, quamvis alia pœna non adesset, quam augmentum infinitum illarum passionum, quæ ipsum in peccato illusum, ac deceptum detinebant, vel etiam sola certitudo nunquam fruendi (vel in minima quantitate) voluptatibus, quibus prius delectabatur, quasque ardentissime antea cupiebat, maximopere nihilominus a tali pœna deterri debet.

Neque putet peccator, bonum esse propositum illud, quod habet, scilicet se convertendi in extremo vitæ suæ, vel post aliquot annos, aut menses; hoc enim propositum nedum stultum apparet: sed impiissima malitia plenum est.

Imprudentis est mentis affectus, sibi proponere magnam aliquam superandam difficultatem eo tempore, quo homo debilior reperitur.

Peccator in peccato perseverans fit quotidie magis debilis ad conversionem, non solum propter malum habitum, qui multum excrescens in naturam convertitur, verum etiam ob indispositionem majorem ad gratiam conversionis in se recipiendam. Tum etiam quia, cum dignatus nunquam fuerit Creatorem, sed ab eo semper abhorruerit propter malitiam iniquissimam, semperque delectatus fuerit creaturis, quo plus potuit, nixus hac præsumptione ad Deum in posterum se convertendi, Deus postea fit itidem renuens, nec converti ipsum permittit.

Est

Est pariter stultissimum supradictum consilium , & propositum , quia ( etiam si ei conversionis potentia , atque auxilium efficax concedatur ) securitatem , quod interim inopinatae non moriatur , & absque verbi unius prolatione ( si cuti tot aliis evenit , & quotidie evenire conspicimus ) quis ei præstabit ?

Clama , clama ergo peccator , qui hæc legis , ad Dominum Deum tuum , sic dicens : *Converte me , & convertar , quia tu Dominus Deus meus ; neque cesses unquam , quousque convertaris ad Dominum , ac Patrem tuum , illachrymans semper amarissime propter offendam illi factam , cum resignatione ad illud omne , quod ei placere , atque satisfacere posse cognoscas.*

## CAPUT XXXIV.

*De modo procurandi lacrymas de offensa Domini , nec non etiam conversionem.*

**D**ilecte Fili , melior modus , quo lacrymas procuremus de offensa Dei , non invenitur , quam meditatio maximæ bonitatis ipsiusmet Dei , ejusque summæ charitatis , quam erga hominem patefecit ;

Et ratio est , nam qui considerat , quod , peccando , supremum bonum offenderit , bonitatemque ineffabilem : quæ non nisi bona cælestia omnibus depluit , neque aliud unquam fecit , ac facit , quam demittere tanquam pluviam , gratias suas : quamque lumen suum dispergere su-

per amicos teque, atque intimos suos; quodque tantum bonum offenderit pro nihilo, & pro voluptate exigua, minimaque, imo falsa delegatione, non potest non amarissime flere.

Te sistes ergo coram Domino Crucis suffixo, ac ante illum audire tibi videberis verba ista : *Aspice in me, atque singillatim plugas meas considera, a tuis enim peccatis vulneratus sum, Et tam male habitus, sicut me vides.*

Et tamen Dominus Deus tuus ego sum, Creator tuus, benignus Redemptor tuus, atque piissimus Pater tuus !

Quare, Revertere, revertere, ad me cum lacrymis puris, & cum voluntate accensa per quam desideres, me offendum non fuisse, optesque tolerare quamcunque poenam, potius quam amplius me offendere: *Revertere ad me, quoniam ego redemi te.*

Postea, considerato Christo Domino cum corona spinea super caput, nec non cum arundine præ manibus, undequaque vulnerato, tibi imaginaberis, quod ad te dicat : *Ecce Homo ! Ecce Homo, qui, te ineffabili amore diligens, te redemit his probris, his plagis, & hoc Sanguine ! Ecce Homo ! Ecce ! iste homo ille est, qui offensus fuit a te post tantam amoris ostensionem, nec non post tot, & tam magna beneficia, sicut tu scis.*

*Ecce Homo ! Ecce ! hic homo est Dei misericordia, ejusque copiosa Redemptio, hic homo pro te una cum omnibus suis meritis sese offert, omni hora, ac momento, æterno Patri.*

Hic

Hic homo ad dexteram Patris sedens pro te interpellat , & rogat peracriter. Quare igitur me offendis : quare non reverteris ? Reverttere ad me ; quia delevi ut nubem iniquitates, & quasi nebulam peccata tua.

## CAPUT XXXV.

*De aliquibus rationibus, propter quas non flemus offensam Dei, & absque virtute, ac Christiana perfectione vivimus.*

Rationes , propter quas homo in tepiditate dormit, se non erigens a peccato , virtutique donans, sicut oportet, multæ sunt , sed inter cæteras adnumerantur sequentes :

Quia homo non habitat in se ipso, neque videt, quid fiat in domo sua , & quis eam possideat, sed vagus , atque curiosus ducit in voluptatibus , atque vanitatibus dies suos ; quamvis enim in rebus licitis , & bonis in se ipsis occupetur , de illis nihilominus , quæ ad virtutem , & Christianam perfectionem pertinent , nihil curat.

Si vero aliquando curat de eis , suamque videt indigentiam , & a Deo vocatur , ac ad mutantam vitam extimulatur , respondet , *Cras, Cras : Postea, Postea :* nec unquam advenit , *Hodie, Hodie : Modo, Modo :* quia, cum regnet in eo vitium istius *Cras*, & hujus *Postea*, in quocunque *Hodie*, & in quolibet *Modo*, & *Nunc*, semper *Cras*, & *postea* invenitur.

Neque desunt alii, qui putantes veram vitam mutationem, nec non virtutum exercitia in quibusdam suis devotionibus consistere, totam quasi diem insunt in recitando, *Pater noster*, & *Ave*, absque eo quod ad suorum inordinatorum motuum mortificationem incumbant: qui motus efficiunt, ut creaturis hujusmodi homines adhæreant.

Alii virtutum exercitiis se dedunt, sed absque illarum fundamentis ædificant; habet enim quælibet ex virtutibus proprium suum fundamentum: Sic humilitas, exempli gratia, pro fundamento habet desiderium magnum contemptus; ita ut humilius ardenter cupiat vilipendi, pro nihilo haberi, confundi ab illis, atque vilescere in oculis suis: qui namque prius fundat, atque ædificat hoc fundamentum, cum lætitia deinde lapides accipit ædificii humilitatis: qui lapides sunt viles æstimationes, in quibus nos apud cæteros sumus, nec non etiam occasiones omnes eliciendi aëtus humilitatis; quare excrescente in nobis desiderio, quo haberi pro nihilo optamus, ac sustinentes libenter exiguum æstimationem, in qua vivimus apud alios, humilitatem consequimur: sicut itidem si sæpe istam a Deo poscimus in virtute humilitatis Filii sui.

Licet autem totum hoc ab aliquibus fiat, non sit tamen propter virtutis amorem, & ad placendum Deo; ex quo oritur, quod virtutis aëtus non corresponteant cum omnibus, atque in omni loco: cum ille, qui hæc agit, cum aliis humili sit, cum aliis superbus: humili  
in

in præsentia illorum, quibus eget, & superbus cum illis, quorum æstimationem nihil pendit; nam sibi eam prodesse non arbitratur.

Adfunt alii quoque, qui Christianam perfectionem desiderantes eam per proprias vires procurant, (quæ maxime debiles sunt) nec non a studiis, atque exercitiis suis, non autem a Deo, diffidendo omnino de se ipsis; quare potius retrogrediuntur, quam antecedant; neque deest, qui, vix in virtutis viam ingressus, statim sibi suadeat ad perfectionem se pervenisse: atque ita inanis in se ipso, in virtutibus quoque inanis est. Ut virtutem ergo, atque Christianam perfectionem adipiscaris, Fili, prius diffidas de te ipso, ac postea in Deo confisus, studeas accedere in te hujus rei desiderium, quo magis erit tibi possibile, quotidie illud augmentando. Adverte insuper, ne aliqua occasio virtutum a manibus tuis effugiat, sive magna, sive parva ea sit; quod si effugerit, in re aliqua te mortifices, & punias; neque unquam mortificationem, ac punitionem istam omittas.

Quamvis autem multum in perfectione proficias, quotidie putas te incipere; atque ideo stude, ut quemcunque aëtum tanta efficias cum diligentia, ac si in eo solo tota perfectio consideret; cum ea vero prorsus solertia a minimis erroribus te custodias, qua diligentiores homines a culpis maximis se tuentur.

Amplectere virtutem propter virtutem istam, nec non, ut placeas Deo; hoc enim modo cum omnibus idem eris, sive solus fueris, sive cum

aliis. Tum hoc modo scies deferere virtutem propter virtutem, & Deum pro Deo. Ne declines aut ad dexteram, aut ad sinistram, neque vertas te retro. Sis discretus, solitudinis amans, ac orationis saepe Deum orans, ut virtutem, & perfectionem (quam inquiris, & cupis) largiatur tibi: Deus enim fons est omnis virtutis & perfectionis, ad quam, singulis horis, nos vocat.

## CAPUT XXXVI.

*De amore erga inimicos.*

**E**t si Christiana perfectio sit perfecta præceptorum Dei obedientia, nihilominus a præcepto diligendi inimicos præcipue procedit: adeo simile est Dei consuetudini præceptum istud:

Quapropter, si brevi tempore prædictam perfectionem cupis acquirere, cura, ut ea omnia ad amissim observes, quæ Deus in hoc præcepto diligendi inimicos jubet: amando nimurum illos, eis benefaciendo, & pro iisdem orando, non, ut sic, & tepide, sed cum tanto interno affectu, ut pene tui ipsius oblitus, ex toto corde tuo, ipsorum amori studeas, oresque pro illis.

Circa bonum, quod eis facere debes, hæc scito: Primo, quoad animæ bonum, adverte oportet, ne a te, tuoque malo exemplo occasionem habeant offendendi animam suam. Quare semper notum iisdem facies corporis gestibus, verbis, atque operibus, quod eos ames,  
atque

atque æstimes : quodque in te semper adsit promptitudo , & paratus animus deserviendi ipsis.

Circa reliqua bona temporalia , quid ibi agendum sit, prudentia , & maturum judicium tuum ex inimicorum qualitate , ex ipsorum statu , nec non ex occasionibus occurrentibus colligere optime poterit. Si ad hoc incubueris , certo virtus , & vera pax in cor tuum ingredietur.

Neque hoc præceptum eam habet difficultatem , quam multi credunt. Præter dubium , hoc naturæ durum est : sed volenti , & cupienti mortificare illico naturæ , atque odii motus , facile suavè fiet , cum absconditam in se dulcissimam pacem , atque facilitatem deferre semper soleat. Ut tamen debilitati nostræ succurramus , quatuor potentissimis auxiliis in re ista poteris uti.

Primum' est , Oratio , qua a Christo Domino sæpe petes amorem istum , in virtute illius amoris , quo in Cruce recordatus est prius inimicorum suorum , postea Matris , postremo sui ipsius.

Secundum auxilium est , si tecum dicas : Præceptum Domini est , *inimicos diligere* , ergo hoc exequi debeo.

Tertium est , vivam Dei imaginem in hostibus tuis respicere , quam iisdem in creatione indidit idem Deus , atque ex hoc te excitare ad eam magni faciendam , & diligendam.

Quartum vero est , considerare insuper ineffabilem Redemptionem , per quam inimici tui a Christo redempti sunt quæ non fuit per au-

rum, vel argentum: sed per pretiosissimum, & divinum ejus Sanguinem; tum ex hoc efficies, ut frustra idem Sanguis effusus non sit, & concutatus.

## C A P U T XXXVII.

*De conscientiæ examine.*

**C**onscientiæ examen ter in die a solertibus vi-  
ris fieri solet.

Ante prandium,

Ante vesperas, &

Antequam cubitum eant.

Quod si ita fieri ab aliquibus non potest,  
vespertinum nunquam omittendum est. Si enim  
bis opera Deus inspexit, quæ fecit pro homi-  
ne, quare homo semel saltem in die non respi-  
ciet ad illa, quæ facit pro Deo? De quibus sæ-  
pius, quam semel, strictissimam illi reddere  
rationem debet. Examen autem fiet hoc modo:

Primo, postulabis a Deo lumen, ut omnia,  
quæ interius latent, simul cum omnibus operi-  
bus tuis recte agnoscas.

Secundo. Incipies cogitare, quomodo clau-  
sus fuisti, & recollectus intra cor tuum, nec  
non quomodo illud custodivisti?

Tertio. Quomodo illa die Deo obtempera-  
sti in omnibus occasionibus, quas dedit tibi, ut  
inservires ipsi?

Hicque aliud non dico, nisi, quod tertia  
ista consideratio statum, atque obligationem cu-  
juscunque claudat in se. Ubi vero de correspon-  
dentia

dentia gratiæ Dei, nec non de bonis operibus tuis gratias egeris Majestati Divinæ, cito omnium obliviscaris, semper cupidus incipiendi denuo iter tuum, tanquam si omnino nihil adhuc fecisses. Ab erroribus autem, defectibus, ac peccatis conversus ad Deum, doleas, quod illum offenderis, & dicas ei:

*Domine, operatus fui ex illo, qui sum. Neque hic stetissem, nisi mihi dextera tua auxiliata fuisset; quare gratias permagnas profista tua gratia reddo tibi. Age modo, in nomine dilecti Filii tui, fac ex illo tu etiam, qui es, & parce mihi, mihique largire gratiam, qua auxiliante nunquam in posterum Te offendam.*

Pro pœnitentia deinde errorum tuorum, nec non ob emendationis stimulum, propone mortificare voluntatem tuam in re aliqua licita: istud quippe Deo valde placet. Idem dico de corpore, nunquam pro omnibus viribus tuis has, aut similes pœnitentias omittens, nisi velis, quod conscientiæ tuæ examina propter consuetudinem aliquam tantum fiant, & absque fructu.

## CAPUT XXXVIII.

*De duabus regulis, ut in pace vivamus.*

**Q**uamvis ille, qui vivit juxta ea, quæ hucusque diximus, semper in pace maneat, vobis nihilominus in hoc ultimo Capitulo tradere

tibi duas regulas ( quas etiam in supradicto inclusimus ) quibus solis a te observatis , certo quietus , & tranquillus in mundo hoc iniquissimo vives.

Prima est , ut studeas , cum omni diligentia , cor tuum claudere cupiditatibus : cum cupiditas sit longum lignum Crucis , & inquietudinis omnis : quod quidem secundum cupiditatis tuæ magnitudinem grave erit tibi . Unde si tua cupiditas circa plura erit : majora etiam , graviora , & majori in numero erunt ligna ad plures cruces parata , quare accendentibus dein difficultatibus , atque impedimentis , eo , quod cupiditatem tuam non exequaris , aliud lignum est , nempe secundum crucis , supra quam homo cupidus crucifigitur .

Qui ergo cruces non amat , non cupiat ; & si in cruce fuerit ; ut crucem non habeat , cupiditatem relinquat ; in eo namque momento , in quo cupiditatem abjiciet , e cruce quoque descendet ; neque aliud , præter hoc , remedium invenitur .

Secunda regula est , ut , ubi offensus ab aliis fueris , eos non consideres , neque varia circa ipsos putes , exempli gratia , quo talia tecum agere non debeant : quinam sint vel quosnam se credant , & similia ; hæc enim omnia sunt ligna , quæ magis iræ , indignationis , atque odii ignem succendunt .

Sed recurre statim in talibus occasionibus ad virtutem, & Dei præcepta, ut scias, quid agendum sit, ne in pejores errores labaris, quam illi fecerunt. Hoc autem modo virtutis, & pacis viam invenies.

Quod si postea tecum non perages, quæ debes, quid mirum, quod alii tecum idem non faciant?


Si vero placet tibi vindicta de iis, qui te offendunt, prius debes vindictam dirigere in te ipsum, quo nullum majorem hostem, & offensorem certissime habes.





## LIBER TERTIUS.

### VIA PARADISI, SEU DE PACE INTERIORI.



#### CAPUT I.

*Quænam sit cordis nostri natura; & quomodo gubernanda.*

**C**or tuum, dilecte Fili, ad hunc solum finem creatum est, ut ametur, & possideatur a Deo Creatore suo. Cum hoc autem amore agere poteris, quidquid volueris; & quæcunque res, licet difficilis fuerit, valde facilis hoc modo tibi fiet. Quare in primis fundare, atque stabilire tibi opus est intentionem cordis tui, ita, ut ab interiori exterior facies procedat. Et ratio est, quia, etsi corporales pœnitentiae, & exercitia omnia, quibus caro castigatur, & affligitur, laudabilia sint, quotiescumque cum discretione habentur, & juxta id, quod convenit personæ illa facienti, nihilominus tu nunquam adipisceris per ipsa, vel unam solam virtutem: sed potius vanitatem, atque inanis gloriæ ventum, quo labores tuos amittes, nisi cum interiori hominem

ne exercitia exteriora nutrita, & conformata fuerint.

Vita hominis nihil aliud est, quam perpetuum bellum, & continua tentatio; propter hoc vero bellum vigilare semper debes, & custodire cor tuum, ut pacificum, & quietum semper conservetur. Ubi vero assurrexerit in anima tua motus aliquis inquietudinis sensualis, (quæcunque ista sit) advertere debes diligenter, ut statim illum suppressas, pacificum reddens cor tuum, non permittendo, ullo modo, ut deflecat ad aliquam ex rebus, quæ ipsum cor inquietum efficiunt. Hoc autem toties perages, quoties inquietudo sese objicit, vel in oratione, vel quocunque alio tempore; & scito, quod tunc orare optime noveris, cum ita operari non ignoraveris. Sed attende Fili in hoc, quoniam omne cum suavitate, & absque vi ulla faciendum est. Igitur totum, principalius, & continuum exercitium vitæ tuæ in hoc situm sit oportet, scilicet in pacificando cor tuum, ipsumque ita custodiendo, ut nunquam ad inquietudinem inflectatur.

## CAPUT II.

*De cura, quam habere debet anima, ut se paci restituat.*

Dilekte Fili, ante quamcunque aliam rem, prædictæ pacis vigiliam supra tuos sensus ut constituas, opus est: hocque ad magna te deducet absque ulla animi perturbatione; immo potius

potius tranquille admodum , & secure cum hac vigilia tibi a Deo immissa adeo supra te ipsum vigilabis , ut assuescas orare , obedire , te humiliare , nec non injurias absque inquietudine , vel exigua , tolerare .

Verum quidem est , quod antequam pacem istam acquiras , multam afflictionem animi patieris , eo , quod non fueris solitus in hisce rebus versari : sed consolationem dein etiam anima tua non parvam aequiret , propter quamcunque contradictionem , quæ illi succedat ; præterquam quod de die in diem melius semper addisces hoc exercitium , pacificandi scilicet spiritum tuum . Quod si quandoque adeo afflictum , atque turbatum te videris , ut impossibile existimes , pacem interiorem denuo consequi , illico ad orationem confugias ; perseveres vero in ipsa ad Christi Domini exemplum , qui ter oravit in horto , ut nobis ostenderet , quod omnis recursus , atque refugium nostrum debeat esse Oratio : quodque (licet valde contristatum , atque pusillanimem te senseris ) non debeas ab ea discedere , donec voluntatem tuam conformem omnino cum illa Dei esse inveneris : & per consequens devotam , pacificam , ac generosam simul , & audacem effe . Etiam videris ad amplectendum , & libenter subeundum , quidquid antea timebat ; vel odio habebat , sicuti fecit Redemptor , qui ait : *Surgite , eamus : ecce appropinquit , qui me tradet.*

## CAPUT III.

*Quomodo paulatim pacifica cordis habitatio ædificanda sit.*

**S**tude, dilecte Fili, (ut supra dictum est) ne turbetur unquam cor tuum, aut se immisceat in re, quæ ipsum perturbet; atque ideo semper labora, ut quietum ipsum conserves; hoc namque modo Dominus in anima tua domum pacis ædificabit; sive cor tuum vere erit domus deliciarum, & delectationum. Solum hoc a te cupit Dominus ipse, ut quotiescumque in iram excitatus fueris, seu alias in te motus surrexerit, te, illumque statim modereris, ita, ut in omnibus operationibus, & cogitationibus tuis pacificus sis. Sicut autem nulla domus die una ædificatur, ita neque credas, te una die istam pacem interiorem consequi posse: cum hoc quoque nihil aliud sit, quam ædificare domum Domino, & tabernaculum Altissimo, te ejusdem Altissimi templum efficiendo; præterquam quod ipse Dominus ille est, qui templum istud ædificare debet, alioquin vanus esset omnis tuis labor, ut docuit Spiritus sanctus per os David, dicens: *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam.* *Psal. 120.*

Considera vero, principale, imo, totum istius exercitii fundamentum esse humilitatem.

## CAPUT IV.

*Quod anima refutare debeat quocunque solatium, quia hoc est vera humilitas, ac spiritus paupertas, qua pacem amicæ adipiscimur.*

**D**ilekte Fili, si cupis per hanc humilitatis januam ingredi, ( alia enim non datur ) debes semper laborare, & vires omnes adhibere, sed præcipue ab initio, ut amplectaris tribulationes, & res adversas, tanquam charas forores tuas, desiderans ab omnibus contemni, nullumque inveniri, qui tibi faveat, vel te confortet, nisi Dominus Deus tuus. Figas igitur, atque stabilias in corde tuo, solum Deum esse Bonum tuum, tuumque unicum refugium, reliqua vero pro te esse spinas, quas, si ad cor tuum strinxeris, sine dubio male tibi erit. Si vero aliquid indecorum tibi ab aliquo obveniret, valde contentus esse deberes, suffferens cum gaudio: & pro certo habens, Deum tunc esse tecum ; neque aliud honorem unquam cupias, aut aliquid aliud quæras, quam pro Dei amore pacis : nec non omne id libenter suscipere, quod vere ad ejus maiorem gloriam esse existimat. Ad hoc incumbet, ut læteris, ubi aliquis injurias tibi faciet, vel te reprehendet, aut aspernabitur; magnus enim thesaurus sub hoc pulvere latet; quem si libenter acceperis, cito dives invenieris, etiam absque eo, quod ille advertat, qui tibi

tibi tale munus donavit. Ne cures unquam, ut aliquis in vita illa te amet, aut te aestimet: & hoc, ut derelictus ab omnibus cum crucifixo Domino patiaris, nullusque ab illo te impediat. Voluntati tuae, intellectui tuo, & iudicio tuo obedias nunquam, nisi in perniciem ire velis. Quare necessaria sunt tibi arma ad te defendendum a te ipso. Atque ideo, quotiescumque, voluntas tua ad rem aliquam, quamvis sanctam, inclinare voluerit, prius rem illam, solam, ac nudam cum profunda humilitate ante Dominum sistes suppliciter ipsum orando, ut in ea fiat non tua, sed Dei voluntas: hocque accensis cum desideriis effici es absque ulla amoris proprii immixtione: agnosca semper, quod a te nihil habes, & nihil potes. Cave autem a tuis judiciis, quae secum adferunt speciem sanctitatis, & indiscreti zeli, de quo ait Dominus: *Cavete a falsis Prophetis, qui veniunt ad vos sub vestimentis ovium, & sunt lupi rapaces; a fructibus eorum cognoscetis eos, ipsorum fructus sunt, animam in anxietate, & inquietudine detinere.*

Res omnes, quae te ab hac pace, ac interiori quiete separant, sint sub cuiusvis rei praetextu, ac specie, falsi Prophetae sunt, qui in figura ovium, id est, sub praetextu zeli, & juvandi proximum, indiscrete, ut lupi rapaces, praedantur humilitatem tuam, nec non pacem illam, atque quietem tam necessariam illi, qui vere, & securè optat, proficere. Quo autem res

res majorem apparentiam , ac speciem sanctitatis habebit , eo magis examinanda est , & quidem multa cum pace , & interiori quiete , ut dictum est . Quod si quandoque in aliqua istarum rerum deficies , ne turberis : sed humilieste ipsum coram Domino tuo , & fragilitatem tuam agnoscas , ac discas imposterum , quid tibi agendum sit : ideo enim illum defectum permisit Dominus , ut humiliares superbiam , quæ certissime intra te latet , & non agnoscis . Si aliquando animam tuam ab acuta , & venenata aliqua spina transfigi senseris , ne idcirco inquietus fias ; sed majori statim cum solertia vigila , ne magis illa feriat , ac magis intus penetret . Tum cor tuum , & voluntatem tuam retrahens ad verum locum pacis , atque quietis , suaviter illud separa , & detine , ut sic animam tuam puram Deo conserves , qui semper intra viscera tua , & in profundo cordis tui invenietur ob reëstitudinem intentionis tuæ , certum te reddens , quod totum accidat ob exercitium tuum : utpote hoc modo capax efficiaris boni tui , & coronam justitiae tibi a Domini misericordia præparatam merearis .

## CAPUT V.

*Quod anima in mentali solitudine conservari debeat , ut Deus operetur in ipsa .*

**D**ilecte Fili , magni facias animam tuam quoniam Pater patrum , & Dominus dominorum ipsam creavit pro habitaculo ,  
 &

& templo suo. Eam in tanto habeas pretio, ut non permittas, eandem ad rem aliam se inflectere, & inclinare. Desideria tua, nec non spes tuæ semper sint de adventu Domini, qui, nisi invenerit animam tuam solam, recusabit ipsam inviscere. Ne putas, quod in alterius præsentia Dominus, vel minimum verbum, cum anima tua locuturus sit, nisi forsan eidem animæ minando, vel ab ipsa fugiendo. Solum cupid animam Deus, tum separatam a cogitationibus, quo plus fieri potest, tum omnino a desideriis, tum multo magis a sua propria voluntate. Quare non debes tu a te ipso indiscrete pœnitentias assumere, vel occasiones inquirere tolerandi aliquid pro amore Dei, duce sola voluntate tua: sed omnia facere debes consilio Patris tui spiritualis, & superiorum tuorum, qui te loco Dei regunt ut, mediantibus ipsis, disponat Deus, ac faciat de voluntate tua id, quod ipsemur Deus vult, & eo modo, quo vult. Nunquam id opereris, quod cuperes: sed quidquid Deus in te voluerit, faciat semper; fac tamen tu, ut voluntas tua semper a te ipso disjuncta sit, ita ut tu ex te ipso nihil velis. Quando autem aliquid habere volueris, semper ita illud velis, ut, si contigerit fieri aliquid, quod nalles, imo contrarium, non doleas: sed perseveret semper spiritus tuus ita quietus, quasi rem nullam voluisse. Hæc est vera animi libertas, nulli rei nos alligare. Si Deo animam tuam sic solutam, solam, ac liberam dederis, statim videbis ad-

mirabilia, quæ in ea Deus operabitur. O amabilis solitudo, & secretum Altissimi habitaculum! in quo tantum aures præbet Deus, & non alibi, nec non ubi solum loquitur ad cor animæ. O desertum, quod Paradisus effetum est, quia in eo solo permittit Deus, se videri, sibique loqui. *Vadom, & video visionem hanc magnam;* sed, si cupis ad hoc pervenire, ingredere discalceatus, o Fili, in terram istam, quia sancta est; despolia prius pedes: id est, affectus animæ tuæ nudi, ac liberi sint; neque tecum saccum, aut peram deferas in hac via: quia nihil desiderare debes in terris, quamvis aliqua a multis aliis inquirantur; imo nec ullus salvandus est, ut totam cogitationem, & affectum tuum, relictis omnibus creaturis, in solo Deo occupare possis. Relinque mortuos sepelire mortuos, & solus ad terram viventium perge: neque mors in te habeat quidquam.

## CAPUT VI.

*De prudentia, quam in amando proximo habere debemus, ne turbetur pax cordis nostri.*

Experientia ipsa tibi ostendat, fili, viam hanc charitatis, & amoris erga Deum, & proximum valde latam, & apertam esse, ut per eam ad æternam vitam eamus. Dixit Dominus, quod venerat ignem mittere in terram, quodque nihil aliud cupiebat, nisi ut ignis ille arde-

arderet; & quamvis amor Dei nullum habeat terminum, amor proximi nihilominus debet illum habere; quia, nisi illum cum debita moderatione habeas, posset tibi grave damnum adferre, & te desiderio alios lucrandi, ad extremam tui ipsius ruinam deducere. Debes amare proximum tuum taliter, ut damnum anima tua non patiatur. Quamvis tenearis praestare aliis bonum exemplum, nunquam tamen aliquam rem facies tantum propter istud: quia, hoc modo, non posses nisi aliquid de te ipso amittere. Res omnes cum simplicitate, ac sanctitate efficias, absque respectu in aliud; quam in purum Dei beneplacitum. Humiliate in omnibus operibus tuis: & agnoscet, quam parum juvare alios vales. Considera, quod non debes habere fervorem, ac zelum animatum adeo, ut quietem, & interiorem tuam pacem perdas. Sitim semper ardentem habeas, atque cupiditatem, ut omnes agnoscant veritatem, quam tu agnoscis: nec non, ut inebrientur hoc vino, quod cuilibet Deus promittit, ac donat absque ullo pretio vel minimo.

Sitim hanc de proximi tui salute semper habere debes: sed ab amore procedat, oportet, quo amas Deum, non vero ab indiscreto zelo tuo. Deus ille est, qui eam debet inferre in solitudine animæ tuæ, & ex ea fructum colligere, quando ipsi placuerit. Tu ex te solo feras nihil: sed Deo semper offeras terram animæ tuæ puram, ac mundam ab omni re;

quoniam tunc ipse seminabit in ea semen suum  
juxta beneplacitum suum proprium: & sic fru-  
ctum abundantissimum tibi reddet. Recorda-  
re semper, Deum velle hanc animam tuam,  
solam, atque omnino solutam; ut eam uniat  
sibi. Relinque tantum, ut ipsem te eligat:  
neque illum impediás per liberum tuum arbi-  
trium; sed eas absque ulla tui ipsius cogitatio-  
ne, præterquam placendi Deo: expectans, ut  
a Deo ducaris ad operandum, cum jam Pater-  
familias egressus sit ad operarios inveniendos.  
Omniem curam, atque cogitationem neglige,  
omnemque tui ipsius sollicitudinem exue, &  
quemcunque terrenarum rerum affectum: ut  
Deus induat te se ipso, tibique donet illud,  
de quo tu nunquam cogitasti. Obliviscere,  
quo plus potes, tui ipsius, & solum vivat Dei  
amor in anima tua. Ex illis, quæ dicta sunt,  
hoc diligentissime custodiatur in te, (vel, ut  
melius dicam, absque diligentia ulla, quæ in-  
quietum te efficiat) ut scilicet pacifices zelum,  
& fervorem tuum cum multa temperantia: ut  
Deum conserves in te cum omni pace, ac tran-  
quillitate, ne anima tua de proprio amittat  
capitali, quod necessarium est, ubi ad lucrum  
propter alios indiscrete exponitur. Hoc tacere  
eo modo, quod dictum fuit, est, alte clama-  
re in auribus Dei. Hæc otiositas illa est, quæ  
totum negotiatur, quare ipsa sola debes nego-  
tiari, ut dives efficiaris apud Deum; cum aliud  
non sit totum istud, quam resignare animam  
in manus Dei a nulla re occupatam; hocque  
facien-

faciendum tibi est, absque eo, quod aliquid tibi attribuas, putesque rem aliquam te efficerre isthæc operando; Deus enim ille est, qui omnia facit, & ex parte tua nihil aliud Deus vult: nisi ut coram ipso humilieris, & animam tuam solutam offeras, ac liberam affatim ab omnibus terrenis rebus, cum interiori tamen desiderio, ut semper perfectissime in te voluntas Dei adimpleatur.

## CAPUT VII.

*Quomodo anima propria voluntate despoluta præsentare se debet coram Deo.*

Dilecte Fili, debes paulatim incipere hoc modo, nec non cum suavitate confidens in Domino, qui te vocat, & dicit: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos: Omnes, qui fitis, venite ad fontem, & bibite.* Hunc motum, atque divinam vocationem te sequi oportet, expectando simul cum ipsa impetum Spiritus Sancti, ut resolute, clausisque oculis te projicere possis in mare providentiae divinæ, æternique beneplaciti; orans, ut in te istud efficiatur; hoc quippe modo a potentissimis divinæ complacentiæ undis, (absque eo quod iisdem resistere possis) traheris, & ad portum peculiaris tuæ perfectionis, atque salutis cum tranquillitate veheris. Facto hoc actu, quem repetere debes centies, & millies in die, labora, & stude cum omni possibili securitate tam interiori,

quam exteriori, ut accedas cum omnibus potentiis animæ tuæ ad res, quæ te excitant, Deumque laudabilem, amabilem, ac desiderabilem tibi reddunt. Ipsi vero actus sint semper absque resistentia, ac vi cordis tui, ne, mediis ipsis exercitiis indiscretis, atque importunis, debilem te efficiant, & forsitan etiam ita induratum, ut incapax aliorum exercitiorum fias. Ne rejicias consilium illorum, qui in hoc sunt docti: sed quære, ut assuescas semper desiderio, &, quo plus etiam poteris, opere incumbas contemplationi bonitatis divinæ, ejusque perpetuorum, & charissimorum beneficiorum, accipiens cum humilitate, quidquid ab inestimabili Domini bonitate in anima tua exprimetur. Cave, ne per vim procures lacrymas, vel aliam sensibilem devotionem: sed in solitudine interiori requiesce semper tranquillus, expectans, quod adimpleatur in te voluntas Dei. Cum enim lacrymas, & prædictam sensibilem devotionem tibi Deus concedet, illa dulcis tunc erit, nec non absque tuo labore, aut vi. Atque ideo ipsam eo tempore acceptabis cum omni suavitate, ac serenitate, & super omnia cum profundissima humilitate. Clavis, qua thesauri spirituales secretiores referantur, est, ut scias negare te ipsum omni tempore, & in quacunque re; per hanc vero eandem clavem porta insipiditati, atque ariditati mentis clauditur, ubi talis ariditas provenit ob culpam nostram; quando enim a Domino procedit, cum aliis animæ thesauris associantur.

tur. Delectare semper commorari cum Maria Virgine ad pedes Christi Domini , auscultans quidquid Dominus dicet tibi. Cura , ne inimici tui (quorum major tu ipse es) te impediant ab hoc silentio ; & scito ; quod , quando intellectu tuo Deum inquiris , ut in eo requiescas , terminum , atque comparationem efformare non debes debili tua , atque exigua imaginativa. Absque ulla enim comparatione est Deus infinitus , & ubique reperitur : nec non omnia in eo inveniuntur. Ipsum intra animam tuam reperies , quotiescumque in veritate illum inquires , id est , ut ipsum reperias ; non vero , si inquires , ut te ipsum invenias , ipsius enim deliciæ sunt , manere cum filiis hominum ut dignos eos se ipso efficiat , licet iisdem omnino non indigeat. In meditationibus , ne ita aliquibus punctis addictus sis , ut præter illa , nolis alia meditari : sed ubi quietem invenies , ibi consistas , & fruaris Domino , ubicunque voluerit se tibi communicare , quamvis autem illud intermitteres , quod præmeditatus fueras , & proposueras tibi , ne sis scrupulosus : quia totus finis istorum exercitorum est , frui Domino , non tamen cum intentione eligendi nobis pro principali fine talem fruitionem : sed , ut melius amantes efficiamur operum ejus cum proposito ipsum imitandi in eo , in quo possumus ; invento vero fine , non amplius solliciti esse debemus in mediis , quæ ad eundem finem acquirendum ordinantur. Unum ex impedimentis veræ pacis,

ac quietis est , anxietas , & fixa nimis cogitatio , quam in similibus meditationibus habemus ; fundamus enim , & ponimus totum spiritum nostrum circa hanc , vel illam rem , cogentes Deum , ut eundem nostrum spiritum per viam deducat , quam spiritus ipse vult , compellentes hoc modo , ipsum ire , quo nobis præfiximus ; magis voluntatem nostram in hoc curantes , absque ulla advertentia , quam illam Domini nostri : quod aliud non est , quam Deum quærere per fugam ab ipso , nec non , velle Deo placere , voluntati ejus non obtemperando . Si tu vere cupis progredi in hac via , & pervenire ad desideratam metam , nullam aliam tibi proponas intentionem , seu scopum , quam invenire Deum , ubicunque se tibi palam faciet . Omnia desere , neque ulterius progrediaris , donec facultatem obtineas ; quare obliviscaris semper cujuscunque rei , ut requiescas cum Domino Deo tuo ; quando namque Majestati divinæ placebit se abscondere , nec amplius eo modo se manifestare , tunc denuo ipsam inquirere poteris , perseverando in exercitiis tuis , & quidem semper cum desiderio inveniendi , mediantibus ipsis , amorem tuum , ipsoque invento , faciendi quidquid supra diximus , omnia alia derelinquens agnoscensque , tunc desiderium Domini completum esse . Hoc autem valde considerandum est ; multi enim homines spirituales , non parum fructus , atque quietis amittunt , quia adeo in exercitiis suis defatigantur ; illi enim sibi falso effingunt ,

se nihil facere, nisi exercitia omnia perficiant, ponentes in illis perfectionem, & volentes omnino mentem propriam adimplere; pro qua re valde afflitti vivunt, sicut ille, qui laborat, ut aliquid compleat, absque eo quod ad veram quietem, & interiorem pacem perveniat: in qua vere manet, & requiescit Dominus Deus.

## CAPUT VIII.

*De fiducia, quam habere debemus in sanctissimo Altaris Sacramento; Et quomodo offerre nos Domino debeamus.*

Dilecte Fili, omnem operam nava, ut au-  
geatur, & crescat magis quotidie in ani-  
ma tua fiducia sanctissimi Eucharistiae Sacra-  
menti; neque cesses unquam admirari tam in-  
comprehensibile mysterium, & gaudere, con-  
siderans, quomodo se Dominus sub humilibus  
illis, ac puris speciebus ostendat, ut dignis-  
rem te reddat: *Beati enim, qui non viderunt,*  
*& crediderunt.* Ne cupias, ut tibi Deus se  
ostendat in hac vita sub diversa forma a præ-  
dicta. Quære semper, ut voluntas tua inflam-  
metur erga ipsum: siisque quotidie promptior  
ad ejus voluntatem faciendam, semper, & in  
quibuslibet rebus. Cum Deo existenti in hoc  
Sacramento te offeres, sis paratus, oportet,  
atque dispositus ad tolerandum pro ejus amore  
omnia tormenta; pœnas, atque injurias, que  
tibi advenient, nec non quamcunque infirmi-  
tatem, insipiditatem, atque ariditatem,

in oratione, tum extra illam: cogitans ubique, quod hoc multoties pati debeas; quare acceptandum illud pro optimo tibi est, ac laborandum: ut ejusdem tu ipse causa non sis; unde quocunque gaudium tuum debet esse, pati una cum amabili, ac charo Jesu tuo pro amore ejus. Ne sis inconstans in eo, quod incipis; neque velis hodie rem unam, & cras aliam: sed persevera, & firmus esto, sisque certus, quod, si hæc media adhibueris, laborando simul semper cum supradieta suavitate, impossibile erit, quod usque in finem non perseveres; vivere enim absque ista quiete non poteris, vel unicam horam; & minimum temporis spatium sine ulla pro intolerabili erit tormento.

## CAPUT IX.

*Quod deliciæ quærendæ non sunt; sicut nec ali-  
quid aliud, qnod consolationem ad-  
ferat, sed solus Deus.*

**E**lige semper, fili mi, afflictiones, tibique gratum semper sit carere consolationibus particularium amicitarum, atque favorum, qui nullam animæ pariunt utilitatem. Tum quære semper te subjicere alterius voluntati, & ab ea dependere. Quæcunque res tibi pro occasione inserviet, ut adeas Deum; nihil autem te in via detinere debet. Opus est, ut hæc sit consolatio tua, scilicet, ut quælibet res pro te redoleat amaritudinem, & solus Deus,

Deus, sit requies tua. Omnes afflictiones tuas dirige ad Dominum Deum tuum: ipsum ama, eique cor tuum totum communica absque ullo timore; ipse enim viam inveniet, ut omnia tua dubia solvat, & certe, si cecideris, supponet manum suam, teque eriget. Denique unico verbo omnia concludo, si Deum dilexeris, omne bonum habebis. Te Deo offeras in sacrificium, in pacem, atque tranquillitatem spiritus; & ut melius pergas in hoc itinere, teque recrees, absque lassitudine, & perturbatione, tu ad quemcunque passum animam tuam disponas oportet, extendendo nempe voluntatem tuam ad illam Dei, quo magis enim tuam ad illam Dei extenderis, eo plus boni ab ea recipies. Voluntas tua ita debet esse disposita, ut velit, & nolit id solum, quod vult, & non vult Deus. Semper, & in quacunque hora renova propositum tuum, scilicet, quod Deo placere velis: neque decernas unquam aliud praeter id, quod in eo instanti, in quo es, fieri debet. Sed esto semper liber; non prohibeo tamen, ut aliquis cum prudenti sollicitudine, ac diligentia attendat ad id, quod sibi, suoque statui necessarium est; sic namque operari, est operari juxta illud, quod Deus vult: neque pacem impedit, aut verum profectum spiritualem. In omnibus rebus propone id facere, quod potes, & debes; tum esto indifferens, ac resignatus in omni eo, quod accidit. Quod semper circa hoc facere potes, est, offerre Deo voluntatem tuam, & nihil

amplius concupiscere; nam quotiescumque hanc libertatem habueris: & ex omni parte liber fueris (quod obtainere potes omni tempore, ac in omni loco, sive occupatus sis; sive non) tranquillitate, ac interiori pace vere frueris. In hac spiritus libertate magnum bonum consistit, quod tu intendis; talis autem libertas nihil aliud est, quam, hominem interiorem perseverare in se ipso, absque eoque delectetur, velit, cupiat, vel inquirat aliquid extra se; toto enim eo tempore, quo ita liber vives, frueris hac servitute divina, quæ magnum illud regnum est, quod intra nos invenitur.

## CAPUT X.

*Quod animo excidere non debet Dei servus,  
quamvis sentiat in se repugnantiam, &  
perturbationem propter hanc  
pacem interiorem.*

Dilekte Fili, scito, quod multoties turbaberis, & hac sancta, dulcique sollicitudine, & chara libertate interiori privaberis; pulvis enim terrenus ita quandoque attollitur ab internis motibus cordis tui, ut permagnam molestiam in via ista, quam excurrere debes, tibi sit allaturus. Hoc permittit Deus ob majus bonum tuum. Memento, istud esse Certamen illud, ex quo Sancti meritorum suorum coronas traxerunt. In omnibus ergo rebus, quæ te turbabunt, dices:

*Domi-*

*Domine, ecce adest hic servus tuus, fiat in me voluntas tua: Ego scio, ac confiteor, quod veritas verbi tui semper constans permanebit in æternum: quodque promissiones tue infallibiles sint; & in eis confido. Inspice Domine, hic adstat creatura tua: fac de ea, quid tibi placet, Deus meus, nullam rem habeo, a qua impediatur. Pro te solo ego vivo. Felix anima illa, quæ ita Domino suo se offert, quotiescunque turbatur, & patitur inquietum. Quod si Certamen illud diu duraverit: ita, ut non possis tam cito, sicut cuperes, voluntatem tuam divinæ voluntati conformem reddere, ne idecirco excidat animus tuus, aut pertimescat: sed semper prosequere in oratione, atque oblatione tui ipsius; ita namque victoriam consequeris.*

*Respice in horto Certamen, quod habuit Christus Dominus Deus tuus, & quomodo ejus humanitas recusabat, dicens Pater, si possibile est, transeat a me calix iste: sed illico redibat anima ejus ad solitudinem, & voluntate soluta, ac libera dicebat cum profundissima humilitate: Verumtamen non mea, sed tua fiat voluntas. Inspice, & fac secundum exemplar, mi fili, neque, vel unum gradum moveas, cum in aliqua difficultate involutus repperiris, nisi prius oculos ad Christum in cruce positum attollas; in eo quippe scriptum, impressumque conspicies charæteribus valde magnis, quomodo te gerere debeas. Disce fideliter*

ter ab hoc exemplari. Ne paveas, si aliquando a tuo proprio amore perturbaris: neque a cruce te subtrahas: sed ad orationem redeas, & in humilitate persevera, quousque voluntatem tuam omnino amiseris: ac volueris, ut sola divina voluntas fiat in te. Si vero ab oratione discesseris, cum hoc solo fructu contentus esto: sed, si hucusque non adveneris, anima tua vere jejuna erit, & absque cibo. Labora, ut nulla res in anima tua, neque ad brevissimum tempus moretur, nisi sit ipse Deus. De nulla re fel, aut amaritudinem in te conserves: neque oculos tuos ponas in malitiis, malisque aliorum exemplis: sed esto, velut puer parvulus, qui nullam ex rebus istis fastidit: sed per omnia absque ulla offensione pertransit.

## CAPUT XI.

*De diligentia, qua diabolus utitur, ut hanc pacem perturbet, & quomodo cauere debemus ab ejus fraudibus, ac fallaciis.*

**C**um sit mos Adversarii nostri, omni studio quærere, ut animas devoret; incumbit, quo plus potest, ut ab humilitate, atque simplicitate recedant: sibique, & industriæ, suæ rem aliquam attribuant, atque ad gratiæ donum non respiciant, sine quo nullus, vel tantum hoc verbum, Jesu, proferre potest; li-

cet

et enim eidem gratiae ex nobis ipsis per libe-  
rum arbitrium resistere possumus, nihilomni-  
nus eam in nos recipere non valemus absque  
ejusdemmet gratiae auxilio. Itaque, si aliquis  
gratiam non admittit, hoc culpae ipsius est  
imputandum sed si eam admittit, hoc ne-  
que facit, neque facere potest, nisi per  
gratiam, quae cuilibet sufficienter donatur.  
Procurat ergo adversarius noster diabolus, ut  
aliquis se putet, ac judicet alio diligentiores,  
eo, quod se melius ad Dei dona in se recipien-  
da disponat: tum quærit, ut prædictum aëtum  
cum superbia aliquis efficiat, nihil consideran-  
do sui ipsis insufficientiam (nisi adjuvaretur a  
gratia) atque ideo ad alios contemnendos de-  
scendat per cogitationem suam, quod ii opera  
illa non faciant, quae ipse facit. Quare, nisi  
diligenter adverteris, & citissime ad confusio-  
nem, miseriam, & nullitatem tuam reversus  
fueris, efficiet dæmon: ut in superbiam præ-  
ceps eas, non minus ac Pharisæus ille, de quo  
Evangelium loquitur; gloriahatur enim bonis  
suis, atque alios malos judicabat. Quod si  
diabolus per hoc medium voluntate tua potire-  
tur, liber illius Dominus illico fieret, atque  
in eam quocunque vitiorum genus introduce-  
ret. Quare maximum esset damnum, & peri-  
culum tuum. Idcirco nos monuit Dominus,  
ut vigilemus, & oremus. Necessarium igitur  
est, ut diligentissime advertas, ne inimicus  
tuus te privet tam magno thesauro, sicuti est  
pax, & tranquillitas animæ; omni namque  
suo

suo conatu quærit , ut a te tranquillitatem istam surripiat , efficiatque , ut anima tua in anxietate , atque perturbatione vivat ; in quo ipse optime agnoscit consistere totam perditionem , ac damnum tuum ; quia , si anima quieta sit , & omnia cum facilitate operetur , multa efficit , ac omnia bene facit ; quo circa libenter in bono perseverat , & absque difficultate cuicunque rei oppositæ resistit ; e contrario vero ; si turbata , & irrequieta sit anima , parum operatur , & hoc etiam imperfecte : statim defatigatur : ac tandem in infructuoso martyrio torquetur semper . Tu autem , si vis obtinere victoriam , cupisque , ut ab inimico infernali negotium tuum non turbetur , in nulla re magis cautus esse debes , quam in agendo , ut turbatio non ingrediatur in animam tuam , atque in efficiendo , ut , neque pro uno momento , inquietus existas . Ut vero melius scias effugere hostis fallacias , sume tibi pro certa regula in hoc casu , quod quæcunque cogitatio , quæ distrahit , & removet ab amore , & confidentia in Deum , sit inferorum nuncius ; quare , velut talem , ipsam debes repellere , & non admittere , aut audire : Spiritus sancti enim officium aliud non est , quam uniendi magis , magisque , semper , & in qualibet occasione animas Deo : ipsos nempe accendendo , ac inflammando in dulci ejus amore , in iisque novam confidentiam ponendo ; officium vero dæmonis prædicto omnino contrarium est ; utitur namque mediis omnibus possilibus pro hoc fine :

uti

uti sunt, multum timorem incutere, debilitatem ordinariam aggravando, nec non ostendendo, quod anima non disponatur, ut debet, tam pro Confessione, quam pro sacra Communione, ac oratione: atque ideo eandem animam ad dissidentiam, timorem, atque perturbationem compellit; facit enim, ut carentiam sensibilis devotionis, nec non consolationum, tum in oratione, tum in cæteris exercitiis cum impatienti mœrore toleret, ei scilicet suadendo, quod totum eo modo vanum est, atque inutile; quodque eadem anima melius faceret, si tot prætermitteret exercitia; tum demum illam ad tantam inquietudinem, atque dissidentiam deducit, ut cogitet, esse inutile, & infructuosum, quidquid agit; quare ita crescit in ea afflictio, & timor, ut putet deinde, sui Deum amplius non recordari: sed pro rei veritate ita non est: quia innumerabilia sunt bona quæ ariditate, & sensibilis devotionis subtractione cauferentur, quotiescumque anima id intenderet, quod Deus mediis illis intendit; si ipsa tantum patiens foret, atque perseveraret in bene operando, quo melius potest. Et ut clarius hoc capias, utque utilitas, quæ a Deo prætenditur, non sit (eoquod rem bene non percipias) in damnum tuum, breviter exponam hic bona, quæ ab humili perseverantia in his aridis exercitiis procedunt: ut, cum ea sciveris, pacem non amittas, ubi contigerit, te reperiri in simili mentis ariditate, corisque oppressione circa devotionis sensum,

seu in quacunque alia tentatione, etiam valde  
horribili.

## CAPUT XII.

*Quod inquietem pati non debeat anima ob ten-  
tationes interiores.*

**D**ilecte Fili, multa sunt bona, quæ amaritudo, atque spiritualis ariditas producit in anima, si cum humilitate, & patientia sufferatur. Quod, si bene homo perciperet, absque dubio tantam inquietudinem, & afflictionem non sentiret, ubi ei contingeret talis ariditas: illam enim susciperet, non tanquam signum odii, quod ipsi Deus ostendit; sed ut signum magni, ac peculiaris amoris, imo eam acceptaret, velut præcipuam gratiam a Deo sibi factam. Hoc manente cognoscitur, si advertimus, quod similia non accidunt, nisi illis, qui magis quam cæteri se dedere cupiunt servitio Dei, magisque abesse a rebus illis, quæ ipsum offendere possunt; neque hoc evenit, ut plurimum, in initio conversionis ipsorum: sed postquam Domino pro aliquo tempore deservierunt, nec non cum decernunt ei cum majori perfectione famulari: pro qua re jam operi manum admoverunt; nunquam enim videmus, quod peccatores, aut illi, qui terrenis rebus inhiant, pro similibus tentationibus lamententur; quare apertissime apparet, quod hic sit pretiosus cibus, quo Deus convivio eos excipit, quos amat; & quanvis pa-

lato

lato nostro talis cibus insipidus videatur, juvat nihilominus maximopere, etiamsi pro illo tempore beneficium istud non cognoscamus; ubi enim in hujusmodi ariditate anima nostra reperitur, nobisque videtur, quod sola cogitatio de similibus temptationibus nos scandalizet, acquirit hoc modo anima nostra timorem, atque abominationem sui ipsius, humilitatemque illam, quam Deus desiderat: quamvis, ut diximus, ipsa anima, quæ pro tempore illo hoc secretum ignorat, ab eo abhorreat, & renuat ire per tales viam; nunquam enim esse vellet absque solatio, & delectatione interna; putat namque, sine ipsis, quocunque alio exercitio esse tempus amissum, laboremque absque ullo profectu insumptum.

## CAPUT XIII.

*Quod temptationes nobis a Deo mittantur ob progressum nostrum.*

Dilekte Fili, ut magis, & particularius agnoscas, temptationes nobis a Deo dari ob bonum nostrum, considerandum tibi est, hominem propter malam propensionem corruptæ suæ naturæ esse superbum, ambitiosum, ac proprii judicii; præsumit enim semper supra id, quod est. Hæc præsumptio, seu nostri ipsorum æstimatio, adeo periculosa est in spirituali progressu, ut solus ejusdem odor sufficiens sit ad retrahendum nos a vera perfectionis consecutione. Idecirco Deus, utpote benignus

nissimus , per suam amantissimam providentiam , quam de quocunque homine habet , sed præcipue de illis , qui vere ejus servitio se dederunt , procurat , ut nos in tali statu conservet , in quo a tanto periculo exire possimus ; imo in quo , quasi coacti , veram de nobis cognitionem habeamus : sicuti fecit cum Apostolo Petro , permittens , ut ipsum negaret , ad hoc , ut se cognosceret , & amplius de propriis viribus non confideret : & cum Apostolo Paulo , cui ( postquam ad tertium usque Cœlum eum rapuit , eique divina Secreta communicavit ) molestissimam temptationem immisit ; ut , propria naturali fragilitate , ac miseria cognita , humilis foret , ac solum in infirmitatibus suis gloriaretur ; tum etiam ne a magnitudine revelationum , quas a Deo habuerat , ad præsumptionem extolleretur : sicut ipse Paulus ait . Deus igitur compatiens miseriæ , & propensioni nostræ perversæ , permittit , ut hujusmodi temptationes nos invadant , sintque valde horribiles aliquando , nec non variis modis ut agnoscamus per illas nos ipsos , nosque humiliemus : quamvis nobis illæ inutiles videantur . Hic vero bonitas , ac sapientia divina ostenditur ; quoniam per illud , quod nobis nocivum videtur , magis Deus nos juvat ; quia propter hoc humiliamur magis : quod quidem illud est , quo , plusquam cæteris rebus , indiget anima nostra . Contingit siquidem ut plurimum , ut Dei servus , qui similes cogitationes fentit in se , tantamque indevationem , ac spiritus

ritus ariditatem, putet, illud sibi accidere propter imperfectiones suas, nullumque inveniri posse, qui defectuosam adeo animam habeat, & qui Deo cum tanta tepiditate interficiat, sicut ipse facit; unde & credit, similes cogitationes, non nisi hominibus a Deo derelictis evenire. Ex quo sequitur, ut ille, qui prius se aliquid esse presumebat, haec amara medicina e Cœlo demissa, omnium pessimum in terris se esse putet; imo indignum etiam nomine Christiani. Nunquam autem ad tam humilem sui aestimationem, profundamque adeo humilitatem descendisset, nisi magnæ tribulationes, & extraordinariæ tentationes ipsum coegissent, ac impulissent ad illam; quod quidem est una ex gratiis, quas Deus in hac vita illi animæ impertitur, quæ in ipsummet Deum se resignavit, ac se in manu ejus reposuit: ut Deus nimis ipsi medeatur eo modo, quo eidem Deo placet, ac mediis illis medicaminibus, quæ Deus solus agnoscit necessaria esse ad ipsiusmet animæ utilitatem & sanitatem. Præter hunc fructum, quem tales tentationes, ac devotionis defectus causant in animabus nostris, multi alii adsunt: qui enim ita tribulationibus impetrantur, quasi cogitur recurrere ad Deum, & ad bene operandum: sicut etiam propter remedium hujuscemodi mali, & ut pervenire valeat ad totalem liberationem a tali martyrio, cor suum homo examinat, & ab omni peccato, nec non a quacunque re fugit, quæ imperfecta est, & quæ a Deo, aliquo modo, nos remo-

vere videatur. Atque ita tribulatio illa , quam anima sibi adeo contrariam putabat , atque nocivam , deservit eidem animæ pro stimulo , ut majori cum fervore Deum quærat , & ut ab omni eo se tollat , quod non conforme esse cogitet voluntati divinæ. Tandem omnes istæ tribulationes , labores , atque angustiæ , illæ , quas anima sustinet in talibus temptationibus , & privationibus spiritualis delectationis , nihil aliud sunt , quam amoris Purgatorium , si cum humilitate , & patientia (ut dictum est) tolerentur ; præterquam quod inserviunt , ut in cœlo illam habeamus coronam , quæ solum , mediantibus ipsis , acquiritur , & quidem eo gloriosior , quo majores fuerunt labores , atque angustiæ perpeſſæ.

Ex hoc optime patet , quam exiguam causam turbationis habeamus , & inquietudinis , uti solent habere personæ illæ non multum in hoc expertæ , quæ id , quod a Dei manu procedit , dæmoni tribuunt , vel peccatis , & imperfectionibus : dum amoris signa pro odii indicio accipiunt : favoresque , & munera divina putant esse ieiunus a corde irato provenientes : creduntque , omne id , quod operantur , perditum esse , ac sine merito , talemque amissionem nullum remedium admittere ; si enim vere crederent id , quod a parte rei est , scilicet nullam fieri perditionem , sed potius magnam adeptiōnem ( si anima ea occasione bene utatur , sicuti semper potest ) totumque illud esse argumentum

tum **memoriæ amantissimæ**, quam Deus habet de nobis, possibile certe non foret, ut inquietarentur, aut pacem amitterent, quod afflictos se viderent a multis temptationibus, ac imaginationibus, nec non quod aridos, & inde votos in oratione, aliisque exercitiis se cernerent. Imo tunc nova cum perseverantia animas proprias humiliarent, in conspectu Domini, sibique proponerent voluntatem divinam, ejusque servitium, quo cunque modo opus esset, eidem Domino famulari in terris; tum diligentes essent, ut pacificos, ac tranquillos se conservarent: omnia a cœlestis Patris dextra suscipientes, in qua sola calix iste, qui ipsis porrigitur, repositus est; & ratio est, quia, vel a dæmone, vel ab hominibus, vel ob peccata, vel quo cunque alio modo, molestia, & tentatio illa procedat, semper Deus est ille, qui nobis eam mittit, quamvis per varia media illam nobis porrigat juxta beneplacitum suum; ad nos enim non nisi malum pœnæ pervenit, quod semper ab ipso Deo est, qui illud demittit, & dirigit pro bono nostro, licet malum culpæ, quod committitur a proximo nostro, exempli gratia, damnum, vel injuriam aliquam nobis faciente, voluntati Domini sit contrarium: quo nihilominus utitur Deus ob beneficium, atque salutem nostram, quare non tristitiam, aut animi inquietem in nobis ideo excitare debemus, sed potius gratias Deo reddere cum interiori lætitia, & gaudio, peragendo id omne, quod possumus, cum perse-

verantia, & deliberatione, absque eo, quod teramus tempus, & cum tempore multa, ac magna merita: quæ Deus cupit, ut adipiscamur media illa occasione, quam nobis benignissime impertitur.

## CAPUT XIV.

*De remedio, quo uti debemus, ne in peccatis,  
Et fragilitatibus nostris inquietem  
patiamur.*

Dilecte fili, si quandoque in aliquam incidentis culpm, vel negligentiam in operibus, aut verbis; uti foret, si turbareris in re aliqua, quæ tibi contingat: vel si obmurmures: aut alios obmurmurantes libenter audires: vel etiam si in contentione venires: ad impatientiæ motus excitareris in curiositatem, & suspicionem aliorum descenderes: seu quocunque alio modo, semel, vel sœpe labereris; non ideo turbari debes, aut diffidere, & te affligerre, cogitando ad illud, quod tibi evenit, seu confundendo te intra te ipsum: exempli causa, modo putando, te exire a similibus fragilitatibus non posse: modo credendo, imperfectiones tuas causam esse illius culpæ, nec non debile propositum tuum: & modo tibi repræsentando, te vere in spiritus via non pergere: at tandem mille alijs timoribus, animam tuam onerando tristitia, & pusillanimitate in quounque passu. Quapropter ex hoc sequitur, ut te pudeat, præsentare te Deo, vel, si te

non

non pudet, hoc diffisus adeo facias, tanquam si illi fidem non servasses, quam eidem debes; unde, ob remedium adinveniendum, tempus amittis in cogitando res istas, nec non investigando, quantum temporis, data opera, in illo te detinueris? an consenseris? an volueris, vel inclueris? & an cogitationes illas repuleris, vel non repuleris suo tempore? Dum vero in talibus cogitationibus magis, magisque versaris, veram viam negligendo, minus capis, quod velles; imo plus crescit in te molestia, perturbatio, atque anxietas de Confessione, ad quam dein cum molesto timore itur. Præterquam quod, ubi multum temporis infumpisti in Confessione, adhuc quietum spiritum in te non sentis; semper enim tibi videtur te non dixisse omnia Confessori; atque ita amarissima, & inquieta vita dicitur, non solum ex quo cum fructu, verum etiam cum totius ferme meriti perditione. Totum autem hoc accedit, quia nostram naturalem fragilitatem non agnoscimus, nescimusque modum, quo anima cum Deo agere debeat: cum quo anima (postquam lapla est in prædictas omnes fragilitates, imo in quacunque aliam) facilius agit per humilem, & amantem conversionem, quam per tristitiam, & afflictionem interius genitam propter culpam: præcipue, cum sistamus tantum in examine, & specialiter de culpis venialibus, ac ordinariis, de quibus loquimur: in has enim solas solet labi anima illa, quæ eo modo vivit, quo hic supponimus; locuti namque fui-

rus de illis tantum hominibus , qui vitam spiritualem vivunt , nec non progressum suum querunt , ac a mortalibus peccatis se accurate custodiunt . Pro illis quippe , qui casu , ut ita dicam , vivunt , & inter mortales noxas , frequenter Deum offendendo , aliud genus exhortationis necessarium est : neque pro ipsis est apta medicina hæc , cum causam ii habeant mœrendi , & lugendi , nec non diligentissime se examinandi , & confitendi ; ne , propter culpam , & negligentiam suam remedium ad salutem necessarium intermittent . Denuo igitur loquens de quiete , ac pace , in qua semper debet se conservare Dei servus , dico insuper , quod hæc conversio , ut omnino sit in Deum confidens , adhiberi debeat non tantum in levibus , & quotidianis erroribus : sed & in majoribus , ac ultra consuetum gravioribus , si quandoque Dominus permitteret , ut in illos labereris ; & quidem etiamsi valde forent inter se uniti prædicti errores , nedum ob solam fragilitatem , & debilitatem tuam , sed etiam ob malitiam tuam ; quia pœnitentia , quæ solum animum turbatum , ac scrupulosum efficit , nunquam animam ad perfectum statum adducet , nisi conjungatur cum hac amanti confidencia in bonitate , & misericordia Dei ; hocque necessarium est personis illis , quæ cupiunt , non tantum a miseriis suis exire , verum & acquirere quoque altum virtutis gradum , magnumque amorem , ac unionem cum Deo ; quod cum nolint bene capere multæ personæ

sōnæ spirituales , semper vivunt cum corde , ac spiritu debili , & diffiso , qui eos tenet , ne ulterius progrediantur , & majorum gratiarum capaces fiant , quas Deus ipsis præparavit successive donandas : ducuntque semper vitam quandam miserabilem , & inutilem , sed compassionē indignam : quia nolunt sequi nisi proprium judicium , & imaginationem , respuentes veram , & salutiferam doctrinam amplecti , quæ per viam Regiam ad altas , solidasque virtutes vitæ Christianæ nos dirigit : nec non ad illam pacem , quæ nobis ab ipso Christo Domino relieta est . Oportet etiam , ut isti homines , quotiescumque in aliqua inquietudine reperiuntur propter dubia conscientiæ suæ , consilium petant a proprio Patre spirituali , vel ab alia persona , quam idoneam existiment pro similibus ; tum in ipsa omnia remittant , & omnino quiescant . Ut autem omnia recenseamus de inquietudine , quæ ab erroribus , culpisque nostris procedit , sequens Capitulum addo .

## CAPUT XV.

*Quod anima quiescere debeat , & proficere absque temporis amissione.*

**H**anc regulam præ oculis semper habeas , fili : quotiescumque lapsum te videris in aliquem defectum , sive magnum , sive parvum , quamvis millies , ac millies , in die eundem admisisses , semperque voluntarie ; & cum advertentia : ne molesta turberis amaritudine : neque

neque inquieteris, multumque in perscrutando moreris: sed statim agnoscens errorem, quem commisisti: & cum humilitate respiciens fragilitatem tuam, ad Deum amantissimum te verte, & ore, vel etiam, sola mente, ad ipsum dicas:

*Domine operatus ex illo fui, qui sum, nec a me aliud provenire poterat, quam isti errores, aliquique majores; & certe in ipsis tantum finem non facerem, nisi bonitas tua, quae me semper adjuvat, & nunquam deserit, auxiliaretur mihi. Gratias reddo tibi, Domine, pro eo, a quo me liberasti, & ex toto corde doleo propter illud, quod commisi, gratiae tue non correspondendo. Ignosce mihi, queso, & gratiam mihi largire, qua mediantे nunquam amplius te offendam; imo dona mihi, ut nulla unquam res a te, vel paulisper me separet; tibi enim semper servire, atque obtemperare mihi modo propono, & firmissime volo. Hoc facto, ne tempus amittas in inquietudine, vel in cogitando, quod Dominus tibi non pepercit: sed cum fiducia, ac quiete ulterius perge: exercitia tua semper prosequens, tanquam si in nullum defectum lapsus fuisses; hoc vero non semel tibi faciendum est: sed centies, si oporteret; imo in quocunque momento, & quidem cum eadem confidentia, ac pace, ultima vice, qua, prima; hoc namque modo valde bonitatem Dei honoras: de quo teneris credere, quod totus benignus, pius, ac misericors in infinitum sit supra id, quod tibi unquam imaginari*

ginari potes. Sic agendo nunquam interturbatur profectus tuus, perseverantia tua, & progressus tuus; neque tempus in vanum, & absque fructu disperdis. Præterquam quod tu quoque a peccato, seu errore ullo surgere potes, operando hoc modo, lucrando nempe multum eo errore, per intensum affectum cognitionis misericordiæ ejus, ipsum Deum amando, & extollendo: ex quo continget, te a lapsu tuo, Dei auxilio, quod tibi præstabitur, altius assurgere, quo excelsior fuit locus, a quo decideras; dummodo tamen, pro bono tuo, velis tali uti exaltatione. Ad hoc autem, de quo locuti fuimus, incumbere deberent personæ illæ, quæ inquietæ, ac anxiæ sunt; nam viderent, quam magna sit sui ipsorum cæcitas; tanto enim cum proprio damno tempus terunt. Debet autem valde hoc monitum notari, quia est una ex clavibus, quam habet anima ad magnos sibi thesauros spirituales referandos, atque ad se, brevi temporis spatio, ditandam.






## LIBER QUARTUS.

DE

### MENTALIBUS JESU CHRISTI DOLORIBUS.



#### PRO O E M I U M.

**F**uit quondam anima, quæ valde pasci, æ saturari amantissimis cibis passionis amantissimi, atque dulcissimi Jesu desiderabat. Hæc post multum temporis, atque ardentes preces, tandem in sacratissimum angustiati, divinique cordis sui Thalamum introducta est. Præcipuam hanc gratiam multoties obtinuit usque adeo, ut præ dolore, quem in se sentiebat, congeretur aliquando dicere: *Non plus, mi Domine, non plus: quia tantam pænam sustinere non valeo.* Quas res indubitanter ego credo: cum sciam, Dominum de suis doloribus largum, atque benignissimum esse dispensatorem erga eos omnes, qui cum fide, ac perseverantia postulare eos sciunt. Dixit mihi benedicta hæc anima, quod orando, dicebat Deo, magna cum anxietate *O Domine mi, te rogo, in amarissimo mentalium tuorum dolorum mari mergas me; inter illos enim cupio mori, o dulcis vita mea,*

*O amor*

*o amor meus! si ita tibi placeat. Dic mihi, o Jesu, dic o spes animæ meæ, quam magnus fuit dolor afflicti cordis tui? Cui Jesus, utpote dulcissimus, respondere solebat: Scis quam magnus, quam magnus fuit amor, quo Deum amavi, & creaturam. Mihi insuper dixit hæc anima, quod jam alio tempore capax reddit a Deo fuerat (quantum ipsi placuerat) amoris, quo creaturam diligebat: super hunc amorem multa mihi pulchra, ac devota narravit, quæ hic describere, nimis longa res esset. Verum tamen est, quod (ubi Dominus eidem animæ dicebat, tam magnum fuſſe dolorem, quam magnus fuit amor, quo creaturam amavit) videbatur animæ, propter immensitatem amoris, cuius facta fuerat capax, sibi sensus omnes deficere, audito solo illo verbo, non poterat non reclinare in aliquo loco caput suum præ magna afflictione, quam in omnibus membris suis sustinebat. Postquam vero semel ita permanxit, resumptis parumper viribus, ad Deum dixit: Mi Deus, mi Jesu, unicum Bonum animæ meæ, flagito a te propter te ipsum, quæſo ut dicas mihi, quam magna fuerint pænæ, quas in amabili corde tuo tolerasti? Cui petioni dulcissime respondit benignissimus Dominus:*



## CAPUT I.

*Primus dolor mentalis Jesu Christi fuit propter animas sibi unitas, quæ damnandæ erant.*

**D**ilecta anima, scito, quod ultra tot meos dolores, quos modo prodere nolo tibi, infiniti illi fuerunt, quos sustinui in corde meo propter tot animas, ac membra mea, quæ ego cernebam a me, vero ipsorum Capite, separanda; toties autem quæcunque anima separari a me debebat, quoties peccatum mortale admis-  
sura erat. Hæc vero fuit una ex crudelioribus afflictionibus, quas ego intra cor meum perpes-  
sus sum. Cogita, quæso, anima mea, quod si adeo immaniter dolet, qui ad torturam po-  
nitur, cum ei membra disjunguntur a loco suo naturali: quam sævum martyrium meum fue-  
rit; quoniam, tot membra a me separanda erant,  
quot animæ mihi nunc uniuntur, & inpos-  
terum damnabuntur; ego enim tot dolores patie-  
bar, quot erant membra, quæ a me disjungen-  
da erant.

Tanto vero dolorosior est separatio membro-  
rum spiritualium illa membrorum corporalium,  
quanto pretiosior est anima corpore; neque tu,  
neque ulla alia persona capere potest; ego si-  
quidem solus animæ nobilitatem, corporisque vi-  
litatem agnosco, sicuti ego solus effici utrumque;  
quare neque ulla alia creatura percipere potest  
angustias crudelissimas, quæ causaverunt in me  
tot disjunctiones membrorum, quæ mihi tam  
chara sunt, adeoque conjuncta; & sicuti, in

peccando, gravior est unus modus, quam alius, & hoc peccatum illo enormius, ita in videndo varios modos, ac peccata, per quæ animæ separari a me debebant, ego quoque majorem, vel minorem pœnam sentiebam in me, a quantum qualitas, tum quantitas tot dolorum, a quibus cruciabar, dependebat. Quia vero ego sciebam, peccantium voluntatem in æternum futuram fore perversam, ideoque æternis tormentis semper subjectam, hæc erat crudelior afflictio, quæ transfigebat cor meum, prædicta enim membra mea, tot scilicet animæ damnatae. *Nunquam* in æternum uniendæ, & adjungendæ sunt Capiti suo.

Hoc vero, *Nunquam*, illud est, quod cruciat, & in æternum cruciabit infelices animas, plus quam omnes aliæ pœnæ, quas habent, ac in æternum habebunt. Adeo autem me affixit hæc pœna istius *Nunquam*, ut ego elegisset promptissime, semel, & iterum pati omnes afflictiones, quas ego sustinui propter has omnes disjunctiones, atque separationes, omnibus modis, quibus contingere debebant non tantum semel, sed sæpe; immo infinitis vicibus, dummodo unam solam animam (non dico omnes) inspexisset rursus uniendam, atque conjungendam fore integritati aliorum meorum vitalium membrorum; nempe charis, atque electis membris, quæ in æternum vivent ex spiritu vitæ procedentis a me, qui vitam unicuique rei (quæ vitam vivit) impertior.

Hic autem nota, quam chara mihi sit anima una, cum tibi dixerim, quod pro una tantum anima tot, ac reiteratas pœnas libenter passus fuisset, infinitis vicibus, ut eandem mihi unirem, atque conjungerem. Itaque scito, quod adeo affigit, torquetque tales animas, pœna istius *Nunquam*, pro divinæ meæ justitiæ satisfactione, ut ipsæ quoque millenas, imo infinitas pœnas tolerare vellent, dummodo spem aliquam istius conjunctionis haberent. Atque ita efficio in omnibus peccatis, ut qualitati, & quantitati afflictionum, quibus me excruciarunt animæ in separatione a me ipso, qualitas, & quantitas supplicii correspondeat, & quia super omnia hoc, *Nunquam*, me affligebat, ita efficio, ac volo, ut istud, *Nunquam*, cruciet, atque affligat eas animas super omnes pœnas, quas habent, ac in æternum habebunt.

Hic vero cogita, & accurate nota, quam magnum dolorem passus sim in corde meo protot animabus damnatis. Dicebat mihi benedicta hæc anima, quod nasciebatur in ipsa sanctum desiderium (quod quidem oriri ob divinam inspirationem credebat) petendi a Domino hoc dubium, sed cum timore, ac reverentia, ne videretur investigare velle divinitatem. Quapropter summa cum simplicitate, puritate, & confidentia dicebat: O dulcis, & pretiose mi Jesu, multoties referre, audivi, te damnatorum omnium pœnas in te pertulisse: vellem, mi Domine, si tibi placet, scire, an hoc verum sit, te scilicet diversitatem illam pœnarum perpetsum

sum esse , quæ in inferno reperiuntur : cuiusmodi sunt , frigus , calor , comburi , & ab iisdem spiritibus infernalibus membra morderi , ac lacerari ? Ad hæc benedictus Jesus gratosissime respondens ajebat , (animæque videbatur similem petitionem Deo non displicuisse) Dilecta anima , ac filia mea : Ego diversitatem pœnarum damnatorum non sum passus eo modo , quo tu a me requiris : quia omnes damnati futuri erant , membra mortua , ac a me separata . Ecce tibi exemplum : si manus , pes , aut aliud membrum tuum rescindendum esset , quousque manus , pes , vel illud membrum rescinderetur , & separaretur a te , magnam , atque inenarrabilem pœnam sustineres : sed , ubi manus , pes , aut membrum recisum esset , si aliquis in ignem illud projiceret , vel percuteret , aut canum & leonum dentibus exponeret , nullum tu , eo tempore , dolorem sentires , tanquam de membro putrido , & demortuo , nec non omnino a corpore separato . Scis autem , quam pœnam eo tempore in te sentires ; Non aliam , nisi , quod illud fuerit membrum ; valde enim affligereris , ubi ipsum inspiceres devorari . Hoc modo prorsus animæ damnatæ , seu putrida membra mea me excruciarunt . Quousque adfuit spes vitæ , atque novæ unionis , imperceptibiles , atque infinitos dolores ego sustinui : imo etiam omnes animarum angustias , atque tormenta , quæ ipsæ animæ in vita sua usque ad mortem sui corporis pertulerunt ; nam usque ad illam horam spes aderat , novæ conjunctionis si ipsæ voluissent :

ac illud, quod post mortem debebant pati, in me non tuli: imo nullam ex poenis ab iisdem toleratis post proprii corporis interitum passus fui, tanquam de membris mortuis, putridis, a me omnino separatis, & quæ nunquam, in æternum, vitam in me vivere debebant. Evidem pro cruciatu gravissimo mihi erat intueri, tot fuisse vera membra mea mihi coniuncta, & jam rapi ab infernalibus spiritibus, atque ad infinitas flammas, æternosque cruciatus, condemnari. Istud autem est, quod perpeccus fui ex mentalibus doloribus pro damnatis, qui ante damnationem fuerunt membra mea.

## CAPUT II.

*Secundus dolor mentalis Jesu Christi fuit propter peccata omnium electorum.*

Dilecta anima, alias dolor, qui valde affixit animam meam, fuit ob peccata mortalia omnium electorum; omnibus namque modis, quibus dixi tibi, me afflictum fuisse ob membra damnatorum, similiter ob membra electorum, qui mortaliter erant peccaturi, amarissime angustias passus fui, propter ipsorum scilicet separationem a me. Quam vero magnus erat amor, quo in æternum eos amaturus eram: quam vilis exiguitas, cui uniebantur, peccando mortaliter quam excellens vita, cui bene operando, uniendi erant, atque tam gravia, & deformia peccata, quæ separare ipsos a me debebant: tam acerba pariter erat passio mea propter

pter tot dilecta mihi membra. In hoc tantum differens fuit dolor, quam habui pro membris damnatis, ab illo, quem pro electis sustinui, quod pro damnatis, utpote sejunctis membris, afflictus non fui propter pœnas illas tolerandas, post mortem, nisi, ut dixi tibi, ubi cogitabam, quod fuerant membra mea: sed pro electis pœnas omnes sustinui; quas nedium in vita, verum etiam post eorundem mortem passuri erant. Quare expertus sum martyria omnium pœnitentium, tentationes omnium tentatorum, infirmitates omnium infirmorum, percussionses omnium percussorum, ignominias, peregrinationes, & quodlibet genus incommoditatum, quod ipsi perpeſſi sunt, ac tandem quocunque tormentum, parvum, & magnum, quod omnes viae tores electi toleraverunt, adeo intense in me ipso habui, sicut tu intense experireris, & suffereres, si tibi manus, pes, aut aliud membrum corporis graviter percuteretur. Puta igitur, quod fuerunt Martyres, & singillatim, quam pœnarum diversitatem quilibet ipsorum passus est: ac demum, quam variæ, & ſævæ omnes cæterorum membrorum fuere pœnæ. Ut melius autem has intelligas, bene considera, si tu mille oculos, mille manus, ac mille pedes haberet: imo mille ex quibuscumque aliis membris, & in quolibet eorum diversitates suppliciorum perferres, quæ supplicia simul in uno effent momento, nonne hoc effet exquisitum, & nunquam auditum ac toleratum tormentum? Sed vide, dilecta mihi anima, quam major in infinitum fuerit dolor

meus ! membra etenim mea non fuerunt mille, aut millions : sed innumerabilia ; sicut neque dolores mille tantum fuerunt , sed absque numero ; innumerabiles quippe fuerunt pœnæ electorum , ac sanctorum Martyrum , Confessorum , Virginum , omniumque aliorum dilectorum meorum . Sicut autem non potest intelligi , aut percipi , quæ , & quot sint beatitudines , gloriæ , ac præmia parata justis , & electis in Paradiso , ita intelligi , vel percipi nequit , quæ , & quot fuerunt mentales pœnæ , quas pro membris electis ego pertuli : quibus pœnis oportet , ut , pro divina justitia , beatitudines , gloriæ , ac præmia cælestia corraspondeant . Ergo quoad dolores , qui propter electorum tormenta , ab ipsorum obitu me afflixerunt , scito , me perpessum fuisse omnes diversitates , qualitates , & quantitates pœnarum , quas ipsi pati debeant in Purgatorio , juxta majus , vel minus ipsorum meritum . Hoc autem evenit , quia ista non erant membra a me in æternum separanda , sicut damnati : sed membra vitalia , quæ erant in æternum habitura spiritum vitæ , cum eos ego prævenerim per gratiam , & benedictionem meam . Ex hoc percipere igitur potes , anima mea , causam , propter quam non me afflixerunt pœnæ damnatorum in inferno : et si vere me affixerint pœnæ Purgatorii , propter electos meos ; sicuti enim cum dolore sentiretur quæcunque percussio , & laceratio unius membra a loco suo moti , ac fractis adhuc viventis , atque a corpore non omnino disjuncti , donec repositum in loco

loco suo, sanitati restitueretur; ita expertus in me fui tormenta omnia Purgatorii, quibus suos jacere debeant omnia electa mea membra viventia; ut per illud supplicium perfecte mihi ipsorum Capiti denuo unirentur. Et scito, quod nulla alia invenitur diversitas inter poenias Inferorum, & Purgatorii (loquendo de pena sensus) nisi quod poenae infernales nunquam cessabunt, poenae vero Purgatorii finem aliquando habebunt. Verum tamen est, quod animæ, quæ in Purgatorio, pro aliquo tempore, plentuntur, quamvis eas tædeat, purgantur, ac in pace sustinent omnia, redduntque semper gratias mihi summæ justitiae. Hoc autem dicere tibi volui circa penam mentalem, quam pro electis meis perpessus sum.

Utinam hic recordarer piissimorum verborum, quæ ab hac anima audivi, dum cum fletu ab intimis emisso visceribus dixit mihi, se tantisper factam fuisse capacem, (eo modo, quo sponso suo placuerat ipsi ostendere) intelligendi, quam magna sit gravitas, ac turpitudine peccati: nec non, quam grave supplicium, & martyrium attulit amantissimo Deo suo, separando scilicet, ac disjungendo se ab eo, qui est summum Bonum, ut uniret, atque conjungeret se rebus tam humilibus ac vilibus, sicuti sunt omnia istius mundi, quæ nobis peccandi materiam præstant. Recordor itidem, eandem animam cum multis, ac dulcibus lacrymis dixisse: *O mi Deus! o me miseram!* Nam magnam nimis, imo infinitam penam semper tibi attuli, sive dannata sive salva

*Sunt ego! o Domine, vere nunquam percepi, quod adeo graviter a peccato offenderis; nam si hoc scivissim, certissime puto, quod a me nunquam, vel leviter, offensus fuisses. Verum, mi Deus, ne respicias ad id, quod dico: quia, hoc etiam praescito, pejus me gererem, quam prius, nisi, omnipotens, ac benignissima manus tua me adjuvaret. O Amator meus dulcissimus, & clementissimus, adeo crudeles, & tot sunt paenæ istæ, ut mihi jam non Deus, sed potius (nisi, ita loquendo, te offendō) verus Infernus suppliciorum amoris videaris: quo nomine hæc anima Deum saepe vocabat sancta cum simplicitate, & compassione.*

## CAPUT III.

*Tertius dolor mentalis Jesu Christi fuit sanguissimæ Virginis, ac Matris suæ causa.*

**A**udi anima mea, siquidem mihi adhuc aliqua amarissima remanent dicenda tibi, & præcipue de gladio illo, qui animam meam pertransivit: nempe de maximo dolore meæ puræ, atque innocentissimæ Matris, quæ propter passionem, ac mortem meam adeo affligi, ac torqueri debebat, ut nulla unquam, vel fuerit, vel futura sit persona magis afflita, quam ipsa; quare merito in paradyso ita eam evexi, atque glorificavi supra omnes creaturas, nedum humanas, sed & Angelicas; atque ita semper efficiam, ut, quo magis in terris creatura pro amore meo afflita, humiliata, & in se ipsa exina-

exinanita fuerit, eo magis etiam postea a divina mea justitia præmietur, & extollatur in Cœlis. Ut vero nulla nunquam fuit in terris persona magis angustiata, quam dulcissima Mater mea, ita & in Cœlis, nec est, nec erit unquam persona ei similis; nam sicut ipsa in terris, post me, magis omnibus afflcta est, ita & in cœlis, post me, est super omnes beatificata. Atque ideo scito, quod omnibus modis, ac propter omnes causas, pro quibus ego Deus humana carne indutus dolui, & tot supplicia toleravi; pro singulis pariter misera, atque sanctissima Mater mea doluit, & passa est; nec ulla differentia inter meos, ac ipsius dolores fuit, nisi, quod ego in gradu altiori ac perfectiori, quam illa, eos perpeſſus fui, Me autem adeo dolor ejus afflixit, ut, si æterno meo Patri placuisset, mihi pro summa fuisset consolatione, omnes ipsius dolores in anima mea perferre, ne ipsa, vel paululum, pateretur. Unde mihi denuo renovati fuissent dolores omnes, quos in tota passione mea sustinui; imo alia vice iterata mihi fuissent vulnera mea a venenosa, atque acutissima sagitta; quod tamen pro refrigerio mihi summo contigisset; nam sic ipsa mea Mater absque ullo dolore vixisset; verum, quia martyrium meum incomprehensibile, ac sine ulla consolatione futurum erat, concessa mihi non fuit prædicta gratia, quamvis de hac multoties, ob filialem teneritudinem, multis lachrymis æternum Patrem meum exoraverim.

Tunc temporis dicebat hæc anima , videri  
sibi cor deficere præ dolore gloriosissimæ Virgi-  
nis Mariæ , nec non in quadam anxietate men-  
tis morari , in qua nullum aliud verbum pro-  
ferre poterat præter istud , o *Mater Dei ! o Ma-*  
*ter Dei !* nunquam in posterum Dei Matrem ap-  
pellare te volo : sed Matrem pœnarum , atque  
afflictionum universarum , quæ possint a creata  
mente excogitari . Si enim Filius tuus est dolo-  
ris abyssus , quomodo aliter te vocabo , nisi Ma-  
trem doloris ? Non amplius , mi Domine , non  
amplius de doloribus benedictæ Matris tuæ lo-  
quaris mecum ; nam plus me adhuc tolerare  
posse sentio . Hoc mihi satis erit , quo usque vi-  
xero , quamvis viverem mille annos .

## CAPUT IV.

*Quartus dolor mentalis Jesu Christi fuit pro  
amantissima Discipula sua Maria  
Magdalena.*

**H**ic ipse Deus de supradicta materia silens ,  
animam ita afflictam inspiciens , dicere in-  
cœpit : Sed quem dolorem putas , o dilecta ani-  
ma ! me pertulisse pro maxima pœna , ac affli-  
ctione amatæ , & benedictæ discipulæ , imo  
charissimæ filiæ meæ Magdalenæ ? Neque tu ,  
neque alia persona hoc bene capere posset , tum  
ob perfectionem mei , qui ejus sum Præceptor  
amantissimus , tum ob dilectionem , atque boni-  
tatem ejusdem meæ discipulæ , quæ comprehen-  
di ab aliis non potest , quam a me . Aliquid  
de

de re ista ille posset percipere , qui expertus fuisset , atque castum , & spiritualem amorem libasset , tum in amare , cum in amari . Sed ullus talis inveniri non potest ; sicut enim talis præceptor non reperitur , ita neque talis discipula ; quoniam nulla alia Magdalena , præter hanc solam , in terris fuit , vel erit . Dicat , quidquid sibi libeat , quicunque : Excepta Matre mea sanctissima , nulla fuit , quæ magis de morte , ac passione mea doluit , quam Magdalena . Quare sicut , post benedictam meam Matrem , Magdalena pro morte mea magis omnibus afflita est , ita in mea resurrectione , post dulcissimam Matrem meam , prima fuit , quæ reciperet consolationem . Si vero alia persona magis doluisse , quam ipsa , illi , & non Magdalenæ prius apparuisse . In dulei quiete , quam dulcissimus discipulus meus Joannes habuit in amara Cœna supra sacratissimum pectus meum , ipsum profundissimorum , Mysteriorum capacem reddidi ; ibi enim resurrectionem , nec non animarum fructum amplissimum meæ passionis , ac mortis vidi ; licet tamen amatus hic filius meus Joannes majorem passus fuerit dolorem , quam cæteri mei discipuli , nihilominus , ne credas , quod , propter id , quod ipse sciebat , amantissimæ Magdalenæ antecesserit , quæ tunc capax non erat altarum adeo , atque profundarum rerum , sicut Joannes , qui , etiamsi potuisset , meam passionem , ac mortem non impedivisset propter tantum bonum , quod ex ea erat subsecuturum :

sed

sed de dilecta mea Magdalena non sic erat; quia, cum me in Cruce mortuum inspexit, visum statim est illi, non solum terram, sed Cœlum ipsum sibi defecisse; siquidem in me solo totus eus amor, tota ejus pax ac consolatio residebat; sicut autem absque ordine, & mensura me diligebat, ita per consequens etiam ejus dolor fuit absque ordine, & mensura, ipsumque solus ego agnovi, tuli, ac toleravi amantissime intra animam meam; Quamobrem propter Magdalenam sustinui omnes illas teneritudines, quæ sustineri possunt ob sanctum, castum, atque spiritualem amorem, quippe quod intensissime, atque toto ex corde ab illa amabar. Ut vero melius hoc intelligas, scito, Discipulos meos post meam mortem, utpote non adhuc omnino ab omnibus rebus terrenis alienatos, (sicut erat sancta ista peccatrix) ad relieta retia reversos fuisse; quod ab ipsa factum non est: quia ipsa ad vitam suam superbam non amplius rediit; imo tota ardens, ac ob sanctum desiderium exusta, utpote nullam spem habebat me vivum in posterum videndi, anxie me mortuum quærebat, sciens, quod nulla alia re delectari, & frui poterat, quam me dilecto ipsius præceptore, sive vivus, sive mortuus fuisset. Quod vero hoc verum sit, considera, quod ipsa, ut reperiret me mortuum, vivam societatem, ac præsentiam reliquit sanctissimæ, ac dulcissimæ Matris meæ, qua desiderabilior, amabilior, ac delectabilior, post me, inveniri non potest. Tum visio, ac dulcia Angelorum colloquia, quid aliud illi visa fuerunt quam purum nihil?

nihil? Quod vero de Magdalena dico, de qua-  
cunque anima intellige: quæ ubi affectuose, &  
vere me amat, ac desiderat, in nulla alia visio-  
ne, & præsentia requiescit, nisi in me suo so-  
lo, atque dilecto Domino. Tu, anima mihi  
chara, nunquam cogitare posses, quam magnus,  
& absque mensura amaræ hujus meæ Discipu-  
læ esset dolor: qui utpote totus in meum affli-  
ctum cor reverberabat, ego pro illa supra mo-  
dum angustiatus fui. Cecidisset Maria Magda-  
lena præ magno dolore multoties: imo certe  
mortua fuisset: sed hoc ego non permisi, cu-  
piens ipsam in aliis rebus necessariis adhibere;  
illa enim fuit Apostolorum Apostola, quæ an-  
nunciavit, & evangelizavit ipsis veritatem Re-  
surrectionis meæ: sicut ipsi Apostoli dein fece-  
runt universo mundo. Fuit itidem lucidum  
speculum; vivumque exemplum veræ conver-  
sionis, & pœnitentiæ; præterquam quod volui,  
ut regula, atque exemplar foret totius beatissi-  
mæ vitæ contemplativæ; in solitudine quippe  
triginta tres annos incognita mortalibus deli-  
tuit, atque in ea intimos affectus, & amoris  
effectus degustavit, quantum in vita ista misera-  
bili gustari, atque sentiri permittitur.



## C A P U T V.

*Quintus dolor mentalis Jesu Christi fuit propter amatos sibi, charosque Discipulos, atque Apostolos.*

**A**lius dolor, qui feriebat animam meam, erat fixa memoria Collegii Apostolorum, cœli columnarum, fundamentorum meæ militantis Ecclesiæ: oviumque mearum, quas absque pastore dispersas ituras esse videbam: sciebamque omnes pœnas, atque martyria, quæ pati pro me debebant. Nunquam enim inventus fuit præceptor aliquis, qui adeo ex corde discipulos suos amaret, sicut ego meos dilectissimos filios, fratres, discipulos, & Apostolos diligebam; & quamvis ego creaturas omnes semper infinito amaverim amore, nihilominus erga illos, quos corporaliter agnovi, peculiaris (ut cogitare potes, anima dilecta) fuit amor meus. Atque ideo particularem expertus fui dolorem pro ipsis in afflita anima mea: ac pro iisdem magis, quam pro me amarum illud protuli verbum: *Tristis est anima mea usque ad mortem, præ magna teneritudine, quam sentiebam in me, quod derelinquendi erant soli sine Me ipsorum Pastore, atque fideli Magistro quæ angustiæ tales pro me erant, ut altera fere mors mihi videretur corporalis separatio ab ipsis. Quapropter, qui bene consideraret verba postremi sermonis, quem feci, duri adeo certe non esset cordis, ut non fleret; quoniam omnia illa dolorifica verba exibant ab intimo cordis mei, quod discen-*

descendi mihi intra pectus videbatur præ ipsorum amore. Tum intuebar, pro nomine meo aliquem crucifigendum esse, aliquem dilacerandum, alicui caput amputandum, omnesque per varia martyria pro amore meo interimendos. Quare, quam gravis mihi hæc pœna fuerit, saltem quoad partem, ex te sola, o anima mea, agnoscere potes, considerando scilicet, quam intense doleres, si aliqua persona, quam sancto amore diligeres, & cui propter te ipsam cuperes omnem pacem, atque consolationem vel fætis, vel verbis male acciperetur. Verum ego ipse, o anima mea, causa fui, cur isti omnia supplicia, & pœnas tolerarent, nec non, ut quilibet ex iisdem adeo atrociter affligeretur. Quare doloris, quem pro ipsis sustinui, nullam tibi similitudinem asserere possum. Hoc tibi sufficiat, si compati mihi cupis.

## CAPUT VI.

*Sextus dolor mentalis Iesu Christi fuit propter ingratitudinem amati ejus Discipuli,  
Iudæ proditoris.*

**A**lius dolor, internus me excruciat, & sicut gladius tribus venenosis, atque acutissimis cuspidibus sagittabat, transfigebat, percutiebatque afflictum cor meum; hoc autem fuit ob impietatem, atque ingratitudinem dilecti mihi discipuli Iudæ, iniqui ac pessimi proditoris: nec non ob duritiam, perversitatem, atque ingratitudinem electi, multumque a me dilecti Judaici



popu-

populi : tum ob cæcitatem , malignitatem , ingratisudinemque creaturarum omnium , quæ fuerunt , sunt , & erunt : sed de his in duobus sequentibus Capitulis . Modo vero considera , quam magna fuit Judæ ingratitudo ; illum enim in Apostolorum numerum acceptavi omnia sua peccata ei remisi : miraculorum operatorem , & cujuscunque rei mihi traditæ dispensatorem , eundem effeci : ac semper præcipua amoris signa illi ostendi , ut ipsum a concepta sua iniestate removerem . Sed , quo magis illi me amantem patefaciebam , eo magis ipse malignitates contra me machinabatur . Qua cum amaritudine hæc omnia putas , o anima mihi chara ! me revolvisse in afflito corde meo ? Imo multa alia , quæ tibi modo non pando ; sed , cum humilem dignumque compassione exercui aëtum lotionis pedum , tum ipsius , cum sociorum ejus , tunc cor meum in lacrymas amantissimas liquefiebat . Et vere ab oculis meis vivarum lacrymarum fontes supra immundos , & conspurcatos pedes ejus fluebant ; dicebam enim in corde meo : O Judas , quid tibi feci , pro quo adeo crudeliter tradas Me ! O infelicem discipulum ! forsitan maximum amoris signum non est illud , quod ostendo tibi ? O filium perditionis ! Quare sic discedis a Patre tuo ? A Magistro tuo ? O ingratum Discipulum ! Ego cum tanto amore oscular pedes tuos , & tu cum tanto odio , & proditione osculaberis os meum ? O quam malum mutuum reddes mihi ! perditionem tuam , chare & dilecte mi fili , non mortem , & passionem

nem meam illacrymor ; quippe qui nulla alia de causa veni in mundum ; quam ut paterer , & morerer pro dilectis animabus meis. Hæc , atque alia hujusmodi verba dicebat cor meum Judæ , madefaciendo , & irrigando , eodem tempore , abundantissimis lacrymis pedes ejus : verum ad hæc ipse non advertebat : siquidem genuflexus ante ipsum , inclinato capite jacebam , sicut esse solet , qui alterius pedes lavat : præterquam quod a multitudine capillorum meorum longissimorum operiebatur madida , atque lacrymosa facies mea. Amarus vero meus planctus , qui ob magnam amoris teneritudinem profluebat a me , similis prorsus fuit fletui patris , unicum habentis filium , cui moriturus aliquid bonum præstat , ac postea hæc cum eo loquitur intra cor suum : Deus te salvet , fili : hoc enim est ultimum servitium , quod præstabo tibi : Sic dixi , ac feci ego Judæ , cum lavi , osculatus fui , atque maximo cum affectu admovi , & strinxì sacratissimo vultui meo ipsius pedes. Quæ videntes cæteri Apostoli mæsti dicere videbantur : O Jesu ! Præceptor noster charissime perfectissimum vere exemplum profundissimæ humilitatis , & charitatis ferventissimæ relinquimus nobis : sed nos miseri quid faciemus absque te qui es totum nostrum Bonum ; Quid affl. et. ssima faciet Mater tua , cum illi tantam tuam recensibimus humilitatem ? nempe te immundos pedes , lutoque , ac pulvere plenos lavasse nobis : ac tandem ore tuo dulcissimo , atque mellifluo osculatum eos fuisse. O Domine , Deus noster , hæc

tua amoris signa, certa, & indubitata signa nobis sunt majoris doloris, & pœnæ ! Prædictas res tecum locutus fui, anima mea, ut aliquam tibi notitiam traderem cordatissimi doloris, quem passus fui, propter impietatem, & ingratitudinem Judæ proditoris mei : cui, quo amorem majorem ostendi, & manifestiora dilectionis signa, eo magis pessima ejus ingratitudo affixit, atque excruciat me.

## CAPUT VII.

*Septimus dolor mentalis Jesu Christi fuit propter ingratitudinem Judaici populi.*

Judaicus populus ingratus, & obstinatus, o quantum me transfixit, punxitque sagitta, inenarrabilis ingratitudinis suæ ! Cogita, quæso, anima mea, quam fuit ingratus ! Illum, populum sanctum, atque Sacerdotalem ad partem, & hæreditatem meam ego constitui : supra cæteros omnes alios terræ populos elegi ipsum : ab Ægypti servitute, & Pharaonis manibus eripui, siccisque pedibus per medium rubri maris deduxi eum : nubes, & columna, in die per umbram, & in nocte per lucem ei fui : manna quadraginta annos illum nutrivi : proprio ore meo legem ei tradidi in monte Sinai : tot victorias contra ipsius inimicos pro ipsomet retuli : humanam carnem ab eo habui, totoque vitæ meæ tempore cum illo versatus fui : Cœli viam ei ostendi, & tot, tantaque beneficia, ac gratias eidem feci : cæcos ejus illuminavi, surdos ejusdem

dem feci audire, claudos discurrere, mutos loqui, mortuos vivere: & demum infinita, atque stupenda semper apud ipsum miracula operatus fui. Ergo, cum intellexi inter cætera, quod tanto cum furore, & rabie exclamabat, Barrabam hominem scelestissimum liberari, & me terræ, Cœlique Dominum cruci affigi, ac patibulo tolli, tunc afflictum cor meum præ dolore defecisse visum est mihi. Hoc autem ignorat, dilecta anima, quisquis expertus adhuc non est, quinam sit dolor, aliquem omne genus malorum sustinere ab eo, cui omne genus bonorum a se ipso collatum est; & quam dures sit, innocentem audire contra se ab omni populo clamari: *Tolle, tolle, Crucifige, crucifige*: pro illo vero, qui tales pœnam habere deberet, imo mille interitus mereretur, audire vociferari: *Vivat, vivat: Liberetur libetur*. Hæc res sunt, quæ plus mente consideranda, atque intime penetranda suut, quam exprimenda verbis.

## CAPUT VIII.

*Octavus dolor mentalis Jesu Christi fuit propter ingratitudinem omnium creaturarum.*

**E**adem anima, cum esset a Christo, justitiae Sole, illuminata, dixit mihi, quod pro gratiarum actione, pro se, ac pro omnibus creaturis tantam tunc sentiebat in se humilitatem, ut vere confiteretur Deo, ac toti cœlesti Curiæ, se altiora beneficia, ac dona accepisse

a Domino, quam ipsum Judam: imo se solam, in majori longe numero, & magnitudine in se ipsa habuisse favores, & gratias a Deo, quam totum illum amatum populum simul; & tamen acerbius, ac magis proterve Deum a se crucifixum fuisse, quam fuerit ab ingratto eo populo crucifixus. Cum qua sancta consideratione totam pedibus damnatorum, & maledicti Judæ se submittebat: atque profundissimo eo loco voices, clamores, ac planctus ad amatum suum, injuriisque afflictum Deum mittebat, dicens: Benignissime mi Domine, quomodo possum gratias tibi reddere, quod toleres me, si millies iniurias Juda tecum me gessi? Tu Judam Discipulum tuum effecisti: sed me etiam talem; illi ignorasti peccata: mihi quoque ob maximam tuam gratiam, & misericordiam, te ignorisse confido; Illi rerum temporalium dispensationem dedisti: mihi vero tot, ac tanta dona, & gratias spiritualium thesaurorum largitus es. Illi, ut patraret miracula, donasti gratiam mihi plusquam miracula efficere concessisti: cum me voluntarie in locum, atque habitum religiosum deduxeris, in quo sum: O mi Jesu, te vendidi, ac tradidi, non semel, ut ille: sed millies. & saepissime. O mi Deus: tu bene hoc scis, quod impudentius, quam Judas per osculum Te tradiderim: cum adhuc sub specie etiam spiritualitatis reliqui te: atque ad mortis vincula me approximavi. Quod si tantum te afflxit ingratitudo illius populi, quantum a me afflictum te fuisse ingratitudine putandum est?

quo-

quoniam pejor, quam ipsum tecum fui, eo quod  
majora beneficia, & gratias habuerim, quam  
ipse a te obtinuerit, o verum Bonum! O dul-  
cissime mi Domine! ex toto corde gratias tibi  
ego rependo, quod ab Ægyptiaca servitute mun-  
di, & peccatorum, nec non a manibus crude-  
lis Pharaonis me subtraxeris, nempe ab infer-  
nali dæmone, qui pro voluntate sua miseræ meæ  
animæ dominabatur: quodque me deduxeris,  
Deus, per medium aquarum maris vanitatis  
mundanæ, siccis pedibus, ita ut, mediante gra-  
tia tua, ad solitudinem sanctæ Religionis tran-  
siverim, in qua sæpe, imo sæpiissime dulcissi-  
mo, ac sapidissimo, manna tuo cibasti me: quod  
manna omnem saporem taliter in se habuit, ut  
omnia delectamenta terrena fastidiverim, ubi  
respiciebam ad aliquam, etiam minimam, ex  
consolationibus tuis. Gratias ago tibi Domine,  
ac Pater mi benignissime, quod legem mihi de-  
deris pluries ex sanctissimo ore tuo, in monte  
Sinai sanctæ orationis, scriptam digito miseri-  
cordiæ tuæ in tabulis lapideis cordis meis du-  
rissimi, & rebellis. Gratias tibi ago, Redem-  
ptor mi benignissime, pro auxilio mihi præsti-  
to contra omnes meos inimicos, & capitalia vi-  
tia; quoties enim vici, a te provenit victoria  
mea; quoties vero perdidi, ac perdo, propter  
malignitatem meam, exiguitatemque amoris mei  
erga te, o desiderande mi Domine, ortum est.  
Tu, mi Deus, mediante gratia tua in anima  
mea natus es, mihiique viam, & veritatis lucem  
ostendisti, ut a tenebris, & obscuritatibus in-

felicissimi hujus mundi venirem ad te Paradisum, & lumen verum. Tu mihi visum dedisti : tu auditum : tu loqui : tu ambulare : vere enim cæcus eram ; surdus, mutus, ac claudus in rebus spiritualibus : quin insuper me resuscitasti in te, vita vera, quæ rebus omnibus viventibus vitam donas. Sed mi Deus, mi Redemptor : quis te in Cruce suffxit ? Ego. Quis te alligatum ad columnam verberavit ? Ego. Quis te spinea corona circumdedit ? Ego. Quis te felle, & aceto potavit ? Semper Ego. Itaque per ista discurrens multis cum lacrymis juxta benignitatem Domini sibi concessis, concludens anima ajebat : mi Domine ! scirene cupis, cur dicam, me talia contra te effecisse ? Quia lumen aspexi in tuo lumine. Quare bene scio, te magis afflictum fuisse a peccatis meis mortaliis, quam afflatus fueris tunc ab hominibus illis, qui tanta cum ignominia, ac rabie corpus tuum sacratissimum dilaniarunt. Quamobrem non opus est, ut mihi amplius dicas maximum dolorem, quem a gentium, atque omnium creaturarum ingratitudine perpeccus es ; postquam namque gratiam mihi donasti agnoscendi ; aliqua saltem ex parte, magnam ingratitudinem meam, nunc quoque considero obtuam peculiarem illustrationem, ac gratiam, illud, quod machinatæ fuerunt adversus te : atque in hac consideratione deficit spiritus meus : & obstupesco, mi Jesu, propter tantam charitatem, & patientiam tuam supra nos ingratisimas creaturas tuas ; quippe quod neque propter

pter prædicta omnia unquam desistis nobis succurrere in omnibus nostris, tum spiritualibus, tum corporalibus egestatibus. Sicut autem, mi Deus, sciri non possunt res innumerabiles, quas pro nobis, indignissimis tuis creaturis, in Cœlo, in terris, in aquis, & in elementis creasti, ita agnisci non potest, & comprehendendi inenarrabilis nostra ingratitudo. Quapropter confiteor, mi Domine, & credo, te solum scire posse, quanta, & qualis fuerit amarissima illa sagitta, quæ tam barbare cor tuum pertransiit propter ingratitudinem tot creaturarum, quæ sunt, fuerunt, & erunt; quam veritatem ego agnosco, & confiteor non solum pro me, verum & pro cæteris omnibus creaturis: quod si cuti nullus præterit mensis, dies, hora vel momentum, in quo beneficia tua, & gratias non participemus: ita neque unum momentum temporis excurrat absque infinitis ingratitudinibus nostris. Hocque credo, agnosco, & confiteor fuisse unum ex acerbioribus doloribus, ac pœnis sanctissimæ, afflictissimæque animæ tuæ,






## LIBER QUINTUS.

### DE MODO JUVANDI, ET CONSOLANDI CUJUSCUNQUE GENERIS INFIRMOS, AD BENE MORIENDUM.

*Infirmus eram, & visitasti me. Matth. 25.*



#### CAPUT I.

*Quam magnum, & laudabile fit opus juvandi  
infirmos.*

**M**anifesta res est, certam hominis salutem non in vita, sed in morte consistere; in quem locum enim arbor ecederit, ibi semper erit; ex quo consequitur, opus juvandi infirmos ad bene moriendum esse opus maximæ charitatis; & vere opus istud majus est, quam multi credant; quia si consideratur homo, qui salvari debet, agnoscimus inestimabilis ipsum esse valoris, eum creatus sit ad imaginem, & similitudinem altissimæ Trinitatis; & si dein cogitationem convertimus ad operationes, quas Dei Filius fecit propter hominis salvationem, quis capere unquam poterit æstimationem, & magnitudinem salutis ejusdem homi-

hominis? Si demum consideratur principalis finis humanæ salutis nostræ, ineffabilis adhuc remanet in magnitudine sua, cum sit gloria ejusdem Dei.

## CAPUT II.

*De considerationibus peragendis, cum ad juvandas Infirmos vocamur.*

**U**t melius ad charitatem excitemur, cum ad infirmos vocamur, præter prædictas considerationes, res sequentes meditari debemus:

Primo, nos non vocari ab hoc; vel ab illo, sed ab eo, qui pro nostro exemplo Filium suum dat nobis: quem e cœlo in terram misit ad salvandum mundum; ubi considerabis, quomodo indefesse laboraverit pro re ista; non enim curavit frigus calorem, famem, sitim, aut ullam aliam pœnam; quinimo neque ipsam Crucis mortem. Itaque, nisi volueris, Dominum tuum contristare, adverte, ne tale opus recuses propter rem aliquam, non ob laborem, non ob lassitudinem, non ob tuam commoditatem, non ob quamcunque aliam incommoditatem, quam opus sit in infirmorum domiciliis sentire.

Secundo, considera dictum illud Domini nostri: *Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.*



## CAPUT III.

*De præcipuis mediis, quæ nos ad Infirmos  
juvandos fortes reddunt.*

**S**i nos cupimus bene exercere sanctum hoc opus auxiliandi illis, qui stant prope mortem, quinque rebus indigemus:

Primo. Vita bona.

Secundo. Dissidentia nostrimet ipsorum.

Tertio. Confidentia in Deum:

Quarto. Oratione:

Quinto. Modo ipsos bene juvandi.

De primis quatuor in hoc brevi Tractatu non loquor, cum de illis in certamine spirituali satis differuerim; solum igitur hic loquar de quinta re, auxiliante divina gratia, & quidem cum magis possibili brevitate.

## CAPUT IV.

*De statibus, in quibus esse possunt infirmi.*

**Q**uinque mihi videntur esse status: in quibus solent infirmi inveniri.

Primus est, illorum, qui ob casus, vulnera, vel varios alios eventus coguntur intra tempus brevissimum mori.

Secundus illorum, quibus longius temporis spatium conceditur, & ut plurimum, nolent se conformare voluntati divinæ.

Tertius eorum est, qui itidem aliquo tempore haud carent: conformes sunt voluntati divinæ:

vinæ : & exercere possunt suas animi potentias in efficiendis virtutum actibus.

Quartus de iis est, qui parum, aut nihil amplius sentiunt; vel valde difficulter aliquem virtutis actum elicere queunt.

Quintus tandem de illis est, qui jam extra mortis periculum quotidie ad melius, atque ad corporalem sanitatem gradum faciunt: seu de convalescentibus.

## CAPUT V.

*De modo auxiliandi infirmis primi status, nempe illis, quibus brevissimum vitæ spatium conceditur.*

Modus auxiliandi infirmis, qui proxime invaduntur a morte, est, ut visa mali gravitate, si hoc medium horam vitæ nobis promittit; eam medium tantum quadrantem esse putemus; quare auxilium præstandum a rebus principalioribus, magisque saluti necessariis initium sumet; quia, si vita erit longior, incumbendi postea ad reliqua dabitur locus; exempli causa: ubi comperimus aliquem morti jam proximum, auxilium tunc erit, ipsi dicere: Doleas, fili mi, te offendisse variis modis, & quidem sæpiissime, Deum tuum: qui cum tanto amore creavit te ad imaginem, & similitudinem suam: imo cum jam in perditionem ivisses, redemit te pretioso fanguine, ac morte Filii sui. Petas ergo instanter, & cum confidentia veniam peccatorum tuorum in nomine

Filiij

Filiī Dei , ac in virtute sanguinis , quem effudit ille pro te . Quod si aliquis , fili mi , te offendit , ipsi ex toto corde ignoscas , & dicas : *Jesu Salvator mundi miserere mei : Jesu dulcissime , sis mihi Iesu : Jesu Pastor bone suscippe spiritum meum : Santa Maria , succurre mihi misero peccatori : Sancti Dei omnes intercedere dignemini pro mea salute.* Si vero majus vitæ supererit tempus , dicetur ægro , ut hoc modo confiteatur peccata sua : Doleo , me peccasse contra tale , & tale præceptum , sæpe , vel sæpius , ita tamen , ut semper ad se expediendum incumbat , quam citius potest ; quod si ab infirmitate promitti majus tempus videatur , de numero , magisque necessariis peccatorum circumstantiis interrogabitur æger ; hoc quippe modo , & hac prudentia procedendo , absque sufficienti ad salutem auxilio e vivis non decedet infirmus .

## CAPUT VI.

*De modo juvandi infirmos secundi status , scilicet eos , quibus majus tempus ad mortem datur , & , ut plurimum , conformare se nolent voluntati divinæ .*

Cum auxilium infirmorum secundi status , ( illorum nempe , quibus majus tempus ad mortem datur , & , ut plurimum , conformare se nollent voluntati divinæ ) consistat in bene illos præparando ad Sacra menta suscipienda : ad vitæ hujus odium : ad amorem a terrenis

nis eradicandum: nec non ad illos instruendos, solidandosque contra tentationes, quæ ipsos a morte retrahunt, & sub fallacibus titulis, juventutis, dignitatum, filiorum, timoris peccatorum commissorum, & judicii Dei, eoquod pœnitentiam de suis erroribus non emiserint, ac bono proprio recte, in tempore, non consulerint; ideo singillatim de his omnibus in sequentibus Capitulis tractandum est; sicut & de causis, propter quas Confessio in ægritudine protrahitur; & de duobus universalioribus mediis, ut infirmus ad mortem libenter subeundam inducatur.

## CAPUT VII.

*De prima imagine aerumnarum vitæ humanae  
ad infirmorum secundi status juva-  
men conferente.*

**U**bi ad juvandos infirmos secundi status vocamus, debemus, antequam ad ipsorum cubiculum proveniamus, cum dexteritate, & modo inquirere ab ipsorum cognatis, vel notis de eorundem moribus, & qualitatibus, (si eos nos non agnoscamus) nec non de ipsorum vita: quia ex hac cognitione pandetur nobis via illos valde juvandi, atque ad virtutes reducendi. Ingressi postea unius infirmi cubiculum, ubi diximus: *Pax huic domui, ab infirmitate ipsius qualitate petemus: & quomodo se gerat, ostendendo ei semper, tum verbis, tum vultu, impensissimum affectum*

amo-

amoris, compassionis, atque desiderii de bono ejus: perseverantes deinde pro aliquo exiguo tempore velut cogitabundi, subsequentem dicimus sententiam ea voce, & modo, qui infirmi ægritudini conveniat: *Occupatio magna creata est omnibus hominibus, & jugum grave super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ in matrem omnium.* Eccles. 40. Hæc sententia, ac verba sunt, filii N. vera, & naturalis imago miseræ hominis vitæ: omnium hominum experientia rem istam confirmat: sed, quod magis refert, hanc imaginem effecit Spiritus Sanctus, qui errare non potest, aut quemquam decipere; hanc inspiciamus igitur omnes: hanc sæpe respiciamus, quia admirabiles valde sunt fructus ejus, nempe contemptus istius vitæ mortalis, & desiderium cœlestis, quæ nunquam deficit, & nullam, vel minimam, miseriæ umbram admittit. Non satis tamen fuit Spiritui sancto dixisse: *Occupatio, & jugum:* sed subjunxit, *magna, & grave:* neque contentus fuit addidisse, *hominibus:* sed subdidit, *omnibus;* ac tandem postquam ait: *A die exitus de ventre matris eorum, subtexuit, usque in diem sepulturæ in matrem omnium.* Nonne tibi ergo videtur, N. filii dilectissime, felicem nos vocare posse illum hominem, qui sit proximus morti; vel, ut clariori, & magis proprio loquar sermone, qui alteri vitæ fit prope? Iste etenim majora ostendit signa cito relinquendi præsentis vitæ ærumnas, quæ ut plurimum, esse

**eſſe ſolent infirmitates:** quare nonne feliciorē  
vocandi ſunt mortui, quam vivi? Ut ait Sa-  
piens Eccl. 7. *Melior eſt dies mortis die na-  
tivitatis.*

## CAPUT VIII.

*De ſecunda imagine miferæ hominis vitæ, in  
auxilium item infirmorum ſecundi  
ſtatus depicta.*

**U**no in loco inter cæteros alios innumeros  
noſtris exhibet oculis ſacra Scriptura ima-  
ginem miferæ hominis vitæ, dicens: *Homo  
natus de muliere, brevi vivens tempore, reple-  
tur multis miferiis:* O vita hominis ter, & qua-  
ter mifera, ac miferabilissima! ſi miferiis ple-  
na es, quinam remanet locus pro aliqua exi-  
guā conſolatione, quæ vera ſit, & non fallax?  
O infelicissima vita! vere non ſolum plena eſt  
uno miferiarum genere, ſed multis: quorum  
quodlibet reliquis aliis pejus eſt. Neque eo,  
quod aliqua miferia finem habeat, altera non  
ſequitur, quin etiam duæ, & plures simul.  
Ad has miferias respiciebat Philosophus ille; qui,  
quoties aliquem hominem videbat, amariffime  
lacrymabatur; videbatur enim ſibi videre vas  
equidem pulchrum, ſed mille miferiis, & in-  
numerabilibus infortuniis, ac caſibus ſubiectum.  
Ad hoc respiciebat populus ille, qui hominis  
nativitatē lugebat, ejusdem morte lætabatur.  
Amariffima eſca procul dubio eſt intuitus præ-  
diſtarum duarum imaginum: ſed illi, qui fa-  
num

num palatum, mentemque habet, dulce est,  
quod sequitur *Brevi vivens tempore: quasi  
flos egreditur, & conteritur, & fugit velut  
umbra.* Hoc boni habet misera vita nostra,  
quod brevis est; quia considerans Christianus  
homo, quod brevi a miseriis istis ascendere  
debeat ad Cœli beatitudinem, atque ad gau-  
dium Domini sui, non potest non gaudere, &  
patienti animo tolerare quamcunque miseriā,  
vel in pœnam peccatorum suorum, vel ob be-  
neplacitum Dei sui. Ita dulcis est consideratio  
brevitatis vitæ nostræ, ut non tantum fidelib-  
us, verum etiam infidelibus mors fuerit cha-  
ra; & quidem adeo, ut multi se occiderint pro-  
priis manibus, cupientes, ut miseriæ cito fini-  
rentur. Scribit Valerius Maximus de quodam  
Philosopho, qui ita ad vivum narrabat, &  
præsentabat vitæ hujus calamitates, ut in mul-  
tis pepererit desiderium mortem sibi intentan-  
di; quare Rex Ptolomæus vetuit, ne de re illa  
amplius loqueretur. Isti vero, qui se vole-  
bant occidere, ut exirent a miseriis istius vitæ,  
erant Pagani: non autem, qui Dei gratia, Chri-  
stiani sumus, & aliam vitam credimus, non  
miseriis plenam, sed bonis, quæ nec oculus  
unquam vidit, nec auris audivit, nec in cor  
hominis descendunt, infensi sic erimus,  
atque in luto cæcarum passionum, ac vitiorum  
nostrorum immersi: ut nolimus, volente Deo,  
transire a miseriis ad felicitates, quæ nullum  
finem cognoscunt? Ergo renuemus audire cu-  
n  
gratiarum actione vocem divini nostri Pastoris,

qui ab hac terra lupis rapacibus plena ad cœlestē Ovile nos vocat?

## CAPUT IX.

*De tertia imagine vitæ humanae, pariformiter  
pro utilitate infirmorum secundi  
status delineata.*

Jam inspexisti, fili, & considerasti in duabus præcedentibus imaginibus miserias humanæ vitæ: modo mentis oculos converte ad hanc tertiam, a qua reliquæ duæ ortum traxerunt: ecce, hic adeſt: ipsam quoties tibi lubet, inspicias; eam enim ſemper amaram eſſe comperies:

*Mulieri quoque dixit: Multiplicabo aerumnas tuas, & conceptus tuos; in dolore paries filios, & sub potestate viri eris, & ipſe dominabitur tui. Adæ vero dixit: Quia audisti vocem uxoris tue, & comedisti lignum, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo; in laboribus comedes ex ea, cunctis diebus vitæ tue; spinas, & tribulos germinabit tibi: & comedes herbas terræ; in sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua sumptus es, quia pulvis es, & in pulverem reverteris. Neque aliquis putet, hanc eſſe imaginem ſolum vitæ hominum miserorum, quia eſt universalis, & comprehendit omnes, ſive pauperes ſint, ſive divites, ſive nobiles, ſive ignobiles, ſive Principes, ſive Reges, ſive Imperatores, ſive Pontifices.*

tifices; desudant siquidem isti, & maiores patiuntur afflictiones, atque angustias in mentibus suis, quam pauperes perferant in corpore simul, & mente.

Pro ultima autem imagine sit: forma nostri corporis, quod, cum in Crucis modum sit factum, optime nobis declarat, humanam vitam perpetuam esse tribulationem, atque dolorem. Qui in Cruce est, excrucietur oportet: ergo, dum anima nostra in mortali nostro corpore residet, aut velit, aut nolit, opus est, ut tormenta sustineat. Ex omnibus, quæ hucusque dicta sunt, manifeste apparet, hominis vitam non solum miserabilem, sed miserabilissimam esse, nullamque reperiri potentiam, aut artem hominis, qua tanta miseria tolli ab ea possit. Sola mors illa est, quæ libenter acceptata (cum Deus nobis eam immitit) nos liberet, atque eripit a quacunque miseria; illis autem, qui asserunt, se vitam inventisse dulcem, ac delectabilem: atque ideo sibi ipsis durum esse asserunt illam relinquere: illis inquam respondere poterimus; iisdem prorsus ea contingere, quæ infirmis evenire solent; illi enim, quia corruptum habent palatum, dulce pro amaro sentiunt, & cibos bonos pro malis, malosque pro bonis judicant; quare, ut veritatis capaces fiant, hæc ad illos dici possunt.

Primo. Nisi intellectum, ob vitam in malo habituatum, ac tot inordinatis passionibus, motibusque subjectam obsecratum haberent, isthæc

isthæc non dicerent. Tum, nisi intellectu carerent apto ad considerandum, & segregandum, ex una parte, continuas, magnasque afflictiones, & labores a se perpeccos (ut aliquando falsa, ac brevi delectatione fruerentur) & alia parte momentaneam, levemque sui ipsorum consolationem, certissime non ita loquerentur. Quærant de hoc ab animabus illis illuminatis a Deo, quæ res præsentes odio habebant: semperque ad æternas alterius vitæ delicias suspirabant. D<sup>r</sup>.vus enim Paulus cupiebat mori, & esse cum Christo, & Rex David nonne offensum se putabat, & lamentabatur, eo quod nimis differretur sibi auxilium præsentis vitæ. Quare hæc? Nonne quia bene agnoscebant, quam parvi facienda est vita ista? Imo quam vilis habenda, ac odio afficienda propter tot miseras, quibus plena undique est? Omnis autem ratio suadet, ut prædicti homines intellectum suum submittant intellectui tot Philosophorum, aliorumque Scriptorum altissimi ingenii: qui omnes absque ulla discepantia declarant, ostenduntque, plenam angustiis, ac miseriis esse humanam vitam.

Secundo. Si sermonem omnium tam pauperum, quam divitum audire volumus, inventiemus, quoscunque & dicere, & credere miseram vitam nostram.

Tertio. Etiamsi hujusmodi homines adeo sint cæci ac superbi, ut aliorum hominum iudicio se subdere nolint, contra voluntatem suam debent se submittere Spiritui sancto: qui

dicit, vitam hominis miseriis plenam esse; qua de causa ego nescio, quomodo vita, si miseriis plena est, dilectabilis esse possit.

Quarto. Insuper peto ego a prædictis hominibus ( secundum cæcum quorumdam judicium, opinionemque vita nostra semper est delectabilis ) de ipsorum vita particulari, quam dicunt talem invenisse: an illis unquam acciderit res aliqua amara? Quod si amarum aliquid ipsis contigit, quomodo vitam dulcem dicere possunt, cum proprietas sit rei amaræ, quæ ad dulce consequitur, totum id dulce in amarum convertere? Præterquam quod nonne cor humanum talis est conditionis, ut præteritam dulcedinem in præsenti jam fastidiat, & amarum existimet, ubi illam recogitat? Quid juvat invitato gustasse cibos duarum, vel trium paropsidum, si cibi postremi dein amarum cor reddunt, & venenatum? Sed supponamus etiam, falsam horum hominum opinionem non esse falsam, vitamque humanam totam esse dulcem, atque delectabilem, ac absque ulla, vel minima amaritudinis mixtione: nonne brevis est, & finitur citissime? Hic vero finis, audi potest, quod non sit amarissimus, & super omnem præteritam dulcedinem? Sed, quamvis longa esset vita, & absque fine, (ut ita dicam) quænam longior est, ista terræ, temporalis, vel illa cœli, æterna? Quænam altior, & melior? Hic fruimur creaturis: illic, cum plenissimo, & inexplicabili solatio fruimur Creatore. Hic cum hominibus avidis,

per-

perversis, & absque fide conversamur: in cœlo inter animarum sanctorum, atque spirituum Angelorum (qui se ad invicem ardenter diligunt) societatem, ducimus vitam: atque innarrabiliter increata Dei pulchritudine delectamur, & pascimur. Quapropter, etiam secundum cœcam istorum hominum mentem, falsumque eorundem judicium, non potest homo recusare mortem, ubi Deus vocat ipsum ad aliam vitam, eo quod ad meliorem sine comparatione, felicioremque statum pertranseat. Quomodo namque sani judicii homo ille appellari potest, qui rem aliquam cupiens, lamentetur de meliori, eamque nolit, ubi cito, & minori cum pretio habere potest? Quando plus expendit homo: cum præsentem vitam contra voluntatem suam relinquit, vel quando voluntarie hoc facit? Cum ipsam deserit, transeundo illico ad æternam mortem, vel cum ab ea discedit, eundo subito ad vitam veram, beatam, & sempiternam?

## CAPUT X.

*Quomodo juvandi ii, qui tentantur, eo quod juvenes moriantur.*

**A**lli tentantur, quia sibi ipsis videntur juvenes mori, & cum in florida juventutis ætate reperiuntur. Alicui ex ipsis dicetur: N. mi dilekte, si bene considerares brevitatem vitæ nostræ, manifeste agnosceres, illi nulla ex parte convenire hanc vocem, *Brevis*, vel *Tardæ*:

Quid aliud namque est vita ista , quam nebula brevis ? Quam umbra quocunque tempore a nobis fugiens : quam ventus, qui velociter præterit ? Nam adhuc advertisti , quod res omnes ea in parte , qua magis nos fruimur in hoc mundo fallaci , pertransierunt ? Quodque plus morimur , quo plus vivimus . *Præcisa est* , ajebat Propheta , *vult a texente vita mea* , dum adhuc ordirer , succidit me , de mane usque ad vesperam finies me . *Brevis est hæc vita* , & brevitas ista semper incerta est : quia nescimus , an Dominus noster , in cuius manibus est vita , & mors omnium , sit venturus sero , an media nocte , an galli cantu , an mane . O vitam non dicam dubiam , & cæcam solum , sed vivam afflictionem ! Quod si præcipere cupis , fili , aliquid de brevitate istius vitæ : ad memoriam tuam revoca aliquam actionem , quam ante quinque annos fecisti ; & deinde aliam , quam ante decem , & vix inter unam , & aliam major temporis distantia concipietur ; pro certo enim credas , quod , etiamsi a tempore Adæ usque ad istud vixisses , nihilominus citissima tibi mors videretur . Quod quidem tibi evenit ratione voluntatis tuæ , quæ creaturarum amori nimis addicta est ; nam , si defæcatum haberes affectum , dices cum Propheta : *Heu mihi , quia incolatus meus prolongatus est* : Quod si tandem voluerimus comparare hanc vitam cum æternitate alterius vitæ , nonne erit velut minimum instans ? Sed ponamus insuper , quod possibile sit nobis concedi , juxta voluntatem

tatem nostram, in hac valle misericordiarum vitam longissimam: estne hoc desiderandum? Quid aliud est, multum vivere, quam multum affligi? Nos omnes peregrini sumus, & per vias plenas laqueis, inimicis, erroribus, afflictionibus, occasionibus, peccatis, & infinitis, ut ita dicam, malis discurremus; & tu doles, finem advenisse vitae tam laboriosae, & periculosae? O vita misera, atque fallax! Inquit homines saporem immisisti longis spatiis tuis? Quoties fecisti, ut navis vite in virtutibus, atque spiritualibus perfectionibus florentissimae, in scopulos perniciei sempiternae frangeretur? Qui nascitur, moritur; si ergo mori debes, quare adeo mortis tarditatem desideras, semper preferens molestissimam in te cogitationem moriendi una die? Stultus ille esset, qui per judicem damnatus simul cum multis suppicio, rogaret, ut sibi post omnes, mors donaretur. Quare quotidie dicimus: *Fiat voluntas tua*, si deinde rebelles sumus voluntati divinae? Vel, quare dicimus: *Adveniat Regnum tuum*, si adeo placet nobis intolerabilis servitus istius vitae? Magna est obligatio tua N. mi fili, reddendi gratias Deo, quod dignetur te cito vocare ad Regnum, & gaudium suum. Redde igitur eidem gratias, voluntatemque tuam divinae voluntati conformem efficias, quoniam alias tibi obtinget, & quidem absque ullo fructu, miserabilissimum, & perpetuum paenitere.

## CAPUT XI.

*De auxilio illorum, qui, utpote in dignitatibus constituti, nollent mori.*

**A**criter tentantur personæ illæ, quæ ad altos dignitatis gradus ascenderunt, ubi morti appropinquant; mallent enim non mori. Istis dici potest: Mundi hujus dignitates contemnendas esse, velut nullo dignas pretio: maxime, quia illi qui in dignitatibus sunt constituti, similes iis sunt, qui ob aliquod negotium in summitate altiorum ædificiorum morantur, saepe enim ad terram præcipites ruunt: semper cœli sagittis expositi isti manent: neque deficit ventus, qui eos ita aliquando inflet, ut die aliqua disrumpantur: obnoxii valde sunt frigori rerum cœlestium, verarumque virtutum, nec non calori amoris terrenarum vanitatum, ac vitiorum; & quidem tales sunt omnes præter illos paucos, qui dignitates fugerunt, vel illas ita possederunt, ac in iisdem vixerunt, tanquam si illas non haberent. Ego nunquam legi, aut audivi, dignates attulisse quietem in hac vita, & salutem in alia; cum nihil aliud sint dignates, quam materia afflignantum cognitionum, atque occasio profundissimæ damnationis. Molestias, quas mundanæ dignates in corde pariunt, & magna pericula, quibus eadem dignates subjectæ sunt, optime multi ex gentilibus cognoverunt; qua de causa omnino coronas fugerunt; sicut narrant Historiæ.

Omit-

Omitto hic recensere tot, & tot Christianos Reges, Reginas, Imperatores, nec non filios, & filias ipsorum, qui omnes, cunctas res terrenas contemnentes, omnino se Deo dediderunt religiosi effecti. Memento, quæso, fili mi N. displicantias, atque afflictiones, quas in dignitate tua sustinuisti, cum in ipsa eas omnes conditiones, ac qualitates non inveniebas, quas desiderium tuum cupiebat; tum anxiarum cupiditatum recordare, dilecte mi, quas habuisti, ut ad majores semper dignitates ascenderes; quot noctes absque sufficienti somno transegisti, imo quandoque absque omni etiam modico somno. O cæcum mundum, quam vanus, quam mendax, quam fallax es! Quam deinde tibi amara fuit mortis memoria, fili, quod sciveris, tibi (vel velis, vel nolis) surripiendam esse una cum dignitatibus vitam? Quod si adeo tibi dignitates placent: terrenas aspernare ex toto corde, ut placeas Deo; ipse enim certissime in Cœlo talem tibi dignitatem concedet, quæ in infinitum quamcunque aliam terrenam superabit; ne sis, quæso, mi fili, ita imprudens, ut velis una cum illa istam dignitatem, animamque cum corpore amittere. Quod præter dubium eveniet, ubi moriaris, (quod Deus avertat) cum affectu istius vitæ, & illibenter.



## CAPUT XII.

*De modo succurrendi illis, qui propter filios suos, quos debent relinquere, mallent non mori.*

**A**dsunt aliqui dicentes, quod libenter morentur; sed propter filios sua moderatione indigentes ferme, conformari non possunt cum voluntate divina.

Cum his ita procedemus.

Primo petemus ab istis: Quid magis interest: ut ipsimet in gratia Dei decumbant, vel, ut ipsorum filii aliquod bonum habeant in hoc mundo? Quod si magis ipsorum interest, & quidem absque comparatione, propria salus, quam bona temporalia filiorum, debent se ab omnibus illis affectionibus removere, quæ salutem animæ impediunt: Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te: bonum tibi est ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem aeternum; & si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te: bonum est tibi unum oculum habentem in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.

Secundo petemus ab ipsis: Quis magis filiorum sit Pater: Deus an ipse; quis magis eos amet: ipse an Deus? quis magis illis auxiliari possit: Deus an ipse?

Tu

Tu enim N. (dicemus ad unum ex istis) carnalis tantum es, & peccatorum Pater: sed Deus optimus est illis bonitatis Pater: qui pro sola sua benignitate corpus, animamque creavit filiorum tuorum. Si autem Deus propter ineffabilem charitatem suam misit in mundum Filium suum, ut ipsum salvaret, præcipue vero propter salutem filiorum tuorum: quomodo ipsos abjecere dein poterit, eisque non providere de bonis illis, quæ ad ipsorum salutem sunt necessaria? Terrenos honores, celsitudines, & reliqua bona non debet Christianus homo in tali pretio habere, in quo natura nostra vellet, ut ea haberemus: sed in eo omnino, in quo jubet Deus, ut ea nos habeamus: nec non propter illum prorsus finem, qui placet eidem Deo. Non a Patrum vita, atque industria filiorum bonum procedit, sed a bonitate, & providentia divina. *Bona, & mala: vita, & mors: paupertas, & honestas a Deo sunt.* Non ideo tamen prohibemus homini esse industrium, & laborare pro se, atque pro familia sua: sed per hoc illi innuimus, quod confidentia ipsius non in laboribus, atque industriis suis, sed in Deo reponi debeat: ac proinde ab eiusdem Dei manu pro te optima suscipere oporteat, quidquid contigerit. Propterea, fili, si placet Deo, ut moriaris: & si mediante morte tua, filii tui pauperiores evaderent, quam modo sunt, optimum quoque pro illis est egenos esse. In hoc autem totum situm est: ut nos libenter, & cum gratiarum actione, quid-

quidquid nobis potest accidere , a manu Dei suscipiamus. Cum igitur ita res se habeant: consigna dilecte fili , liberos tuos in manus cœlestis Patris cum confidentia magna , quod sit illis facturus omne id , quod expediens , & bonum fuerit pro iisdem. Quare ad animam tuam tantum incumbe: atque ab ea sola , quæ ad tuum bonum spectant , omnes cogitationes tuas converte.

## CAPUT XIII.

*De illis , qui non libenter moriuntur ob timorem de peccatis commissis , nec non de judiciis Dei.*

**M**axima pars infirmorum turbari solet propter timorem de peccatis commissis , ac de divinis judiciis ; propterea non libenter moriuntur , istis dicemus , quod bona res sit , divinam justitiam , atque occulta , & altissima Dei judicia formidare: sed non usque adeo , ut a pavore dejiciatur ad terram , & consternetur spes , quam habere debemus in bonitate divina. Quare scire oportet , fili mi , Deum a peccatore quidem velle , ut cogitet , se offendisse Majestatem divinam , doleatque , quo magis possibile est , de offensa , pure ut ei placet : ac cupiat hunc dolorem : & ipsum efflagitet a clementia divina : ut offensam integre confiteatur , animo firmo , & stabili potius amittendi res omnes , & vitam simul , quam Deum denuo offendendi : ut se voluntati divi-

næ resignet, tum circa hanc, tum circa aliam vitam: ac tandem, ut speret in misericordia ipsius Dei, quamvis sibi videretur contrarios effectus intueri. Qui prædicta facit, credere debet, quod, *vita vivet, & non morietur: quodque peccata sua, si fuerint, ut coccinum, quasi nix dealbabuntur; & si fuerint rubra, sicut vermiculus, velut lana alba erunt:* Huc convertere debet peccator omnes cogitationes, totamque voluntatem suam; ac, ut dixi, voluntati Dei se conformare, qui vult, ut peccator doleat, quod illum offenderit: proponatque ipsum amplius non offendere: & in omnibus ei obedire, efficiendo quidquid ei præcepit, ac præcipit dilecta ejusdem Domini Sponda, Ecclesia sancta Romana. Quæcumque alia cogitatio, & sollicitudo, aut verba, exempli gratia: *Quis scit? quis scit? esse potest, quod sim ex illis peccatoribus, quibus Deus non ignoravit, & similia:* sunt cogitationes, ac verba a superbia nostra provenientia, nec non dæmonis doli; tam infinita enim est misericordia Dei, adeoque ineffabilis satisfactio, quam crucifixus Dominus pro toto mundo obtulit: tantusque, ac tam inexplicabilis affectus, atque præstantia, qua Deus parcit: ut peccator lætus magis esse debeat pro isto, ubi illud agnoverit, quam pro ipsa peccati remissione, atque indulgentia.



LIBER V.  
CAPUT XIV.

*Quomodo agendum cum illis, qui mallent non mori, eoquod peccatorum suorum pænitiam agere cuperent.*

**N**on desunt ex illis, qui mallent non mori: quia nondum peccata sua fleverunt. Istis dicetur: scitote NN. filii mei charissimi, quod fletus ille, ac pœnitentia majoris valoris est, quæ Deo magis placet; illa vero magis illi placet, quam a nobis striete requirit. Si Deus a vobis multas lacrymas vellet, longam quoque vobis vitam concederet: Sed, cum velit modo a vobis vitam auferre, signum manifestissimum est, quod pœnitentia, quam a vobis requirit, sit resignatio voluntatis vestræ in voluntatem divinam: dolentes quod olim non amarissime luxeritis offensam Divinitatem; si vero prædictus fletus, ac resignatio vobis non placet, estote certi, quod desiderium vestrum de longa vita, non est ob deflendum peccata vestra (quamvis vobis aliter videatur) sed ob continuandam malam vitam præteritam; illorumque prorsus est peccantium, qui, post acceptam sanitatem magis, magisque vitiis passionibus se dediderunt; non id est nihilominus modus (licet brevis sit vita) lugendi diu. Lugete peccata vestra intensius, & majori cum dolore, non ob timorem pœnarum: sed pure ob amorem Dei. Lugete majori cum odio vestrimet ipsorum, & intensiori cum amore erga Deum, nec non cum firmiori resign-

resignatione ad quacunque adversitatem ferendam, quam Deo placebit vobis imponere: quæ resignatio, si in vobis modo non est, dolete, quod eam non habeatis, illamque desiderate, & a Deo postulate: prosequentes offerre ipsimet Deo fletum, quem pro nobis Filius ejus emisit ad gloriam Patris sui cœlestis.

## CAPUT XV.

*De tentatione differendi Confessionem.*

**N**on desistet diabolus tentare infirmum istius secundi status, cum eum viderit fere conformem voluntati divinæ, ut Confessionem differat: ipsi nempe insinuando, quod oporteat prius bene de illo cogitare; in quo procurat, ut angustias, atque laborem sustineat: eidem nempe suggerendo, quod, ubi confessus fuerit, nulla amplius vitæ spes remaneat. Huic temptationi respondet Divus Augustinus, afferens: *Remedia conversionis ad Deum nullis sunt cunctationibus differenda, ne tempus correctionis pereat tarditate; qui enim pœnitenti indulgentiam promisit, diem crastinum non spopondit; ipsa enim est res, quæ multos occidit, cum dicunt: Cras, Cras, & subito ostium clauditur: remansit foris cum voce corvina, qui non habuit gemitum columbinum: Idcirco, dilecte mi fili, N. nunc geme, ut Columbae, & tunde pectus. Si modo tibi offerretur corporis salus, scio certe, quod non dices, Cras, Cras: tibi offeruntur animæ salus, in qua totum consistit, & tu*

dicas

dicis *Crus?* Agnoscis, fili mi, magnum errorem tuum? Heu, heu, ipsi, vel gentiles Poetæ te reprehendunt, ac damnant; audi:

*Nam cur,*

(a) *Quæ lœdunt oculos, fesiinas demere; si  
quid*

*Ast animam, differs curandi tempus in  
annum;*

(b) *Sed propera: nec te venturas differ in  
horas.*

*Qui non est Hodie, Cras minus aptus erit.*

Eccles. V. *Non tardes*, ait Deus, *converti ad Dominum*, *& ne differas de die in diem; subito enim veniet ira illius, & tempore vindictæ disperdet te: Eja igitur, mi frater, fili mi, incipe in nomine Domini confiteri: quia cras, præter alia pericula, minatur infirmitas majora tormenta, atque angustias, quam modo sustineas; & forsitan, imo absque dubio, angustiæ istæ sunt ab arte dæmonis, ut Confessionem tuam impedit. Idcirco statim incipiamus; quod enim spectat ad id, quod dicis, nempe, te bene de illa non cogitasse, mihi remittas; promitto namque ego omnia peccata, quæ fecisti, ad mentem tuam cum facilitate reducere. Cogitate vero, quod confiteri, auferat ab infirmo spem corporalis salutis; est cogitatio stulta nimis ac falsa; quinimo res omnino aliter se habet; propter peccatum si quidem, aut plurimum, mittit Deus infirmitates, unde, sublato per Confessionem peccato,*

*quod*

(a) *Horat.*

(b) *Ovid.*

quod est causa infirmitatis, tollit quoque ejusdem effectus. Quod apertissime ostendit Dominus noster in Evangelio; ubi enim volebat infirmos sanare, prius peccata illis dimittebat, & postquam illos sanaverat, semper admonebat: ut rursus ad peccatum non redirent, ne majori cum ipsorum damno peior illis infirmitas superveniret: *Ecce sanus factus es, noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat;* sunt haec Domini nostri verba in Evangelio recentita.

## CAPUT XVI.

*De prima causa ex præcipuis, quæ sunt quatuor, propter quam peccator Confessionem differt, scilicet de inhonestâ adhæsione, & affectione.*

**Q**uartuor sunt præcipuae causæ, propter quas peccator confessionem differt, nempe: Inhonestâ adhæsio, & affectio.

Odium cum aliquo.

Restitutio rerum male acquisitarum facienda; &

Pudor in confitendo.

Propter primam causam advertat Confessorius, quod si persona dilecta non est absens, oportet illam ab infirmi oculis auferre: & quidem taliter, ut infirmus illam amplius non videat, & de ea nihil in posterum sciat, vel ei renuncietur. Postea dicetur infirmo Bene agnosco, fili mi, quod differre Confessionem

proveniat eo, quia res dura tibi videatur relin-  
 quere personam, quam adeo amas: sed si tu  
 adeo amasiam istam diligis: ipsa vero te etiam  
 multum: quomodo cum veritate dici potest,  
 quod adinvicem amemini, si in hoc amore  
 alium aliis mortaliter persequitur? Hoc ver-  
 bum, *Amare*, nihil aliud dicere intendit,  
 quam personæ amatæ bonum optare, eisque  
 istud idem bonum, quo plus fieri potest, pro-  
 curare. Istud vero non facit vester amor, qui  
 semper tale secum habet venenum, ut eodem  
 tempore, ac momento, quo amamini adinvi-  
 cem, mortem velocissime vobis pariat. Dum  
 amas, fili mi, amasiam tuam, occidis uno  
 iectu te, & illam simul: ac ipsa te amans sibi  
 pariter, & tibi mortem parturit sempiternam.  
 Quod si adeo placet tibi, dilecte mi, ipsam  
 amare; ut ipsam ames, contentus sum: sed  
 absque veneno: illo scilicet amore eam ama,  
 qui tibi, illique bonum, animæque salutem  
 procurat, & gignit. Ecce ejusdem amasiam bo-  
 num, & tuum: ipsam relinque, ut converta-  
 tur ad amorem illius, qui eam creavit, & re-  
 demit, utque fletui se dedat, eoquod cum tan-  
 to errore Majestatem divinam offenderit; &  
 certo credere debes (neque absque bona loquor  
 ego cogitatione) ipsa non amplius vult amici-  
 tiam tuam. Primo ob salutem suam: deinde  
 ob tuam: sed præcipue, ut placeas Deo tuo:  
 Hic adducere, fili mi, diversas oppositasque  
 cogitationes vanum omnino est, quia eam om-  
 nino debes relinquere, vel velis, vel nolis; &  
 tu

**tu adeo demens eris, & obstinatus, ut potius eam  
velis relinquere cum æterna damnatione tua,  
quam cum adēptione amicitiae Dei, & Regni  
eius?**

## CAPUT XVII,

*De secunda causa, ratione cuius Confessionem  
differt peccator, scilicet ratione odii  
contra aliquem.*

**U**t tollatur secunda hæc causa, nempe odii, quo forsan infirmus aliquem prosequitur, ei dicetur: Mihi videtur, fili, quod cupiens militem honestum, & decorum agere, ferme nihil bellandi artem, ac leges calleas. Quem unquam vidiisti, qui volens se vindicare ab inimico per viam vindictæ, prius cogitet de occidendo se ipso? De quo unquam honorato militare intellexisti, quod, ubi adscriptus fuit alius cuius Ducis insignibus, illi pro honore sit militare sub insignibus hostis sui? Tu, gratia Dei Domini Ducis nostri, es Christianus, & in sancto Baptismate miles Christi effectus es; quocirca juxta leges Christianæ militiae pugnare teneris. Si igitur ita res est, scito, quod in Christiana militia tantum contra peccatum pugnatur, nec non adversus motus, & passiones illas, quæ ad peccatum inducunt: qui alter facit, & contra fratrem suum præliatur, Christi miles non est: imo neque honoratus est miles: sed rebellis, ideoque Inferno dignus; si adeo placet tibi, mi fili, indignatio, atque


vindiæta, istam contra te suspicias, qui tam impie; & toties Deum offendisti, animam tuam, atque proximum tuum: indignare inquam contra inordinatas passiones, & contra peccatum tuum decerta. Tum, si cupis certare cum eo, qui te offendit, ipsumque vincere magno cum honore tui ipsius, illis armis decerta, quibus Jesus Christus Dux noster nos decertare docet, & cupit. Ecce arma, quibus vult Christus Dominus, ut nos pugnemus cum inimicis nostris: ecce modus verus eos cum gloria superandi: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.* Putat cæcus mundus esse dedecus, non vindicare inimicorum injurias: animique exilitatem esse credit, illis ignoscere, illisque benefacere: O Domine, o Domine, o mi Deus omnipotens! cum tu igitur parcis inimicis tuis, ipsisque benefacis, ergo vilis es, & absque honore? Ergo, cum proprietate habeat Majestas tua ignoscere, habet quoque, juxta cæcum, & impium illud mundi judicium, exilitatem, & dedecus? Tuus igitur Filius; mi Deus, etiam, cum pendens in Cruce dicebat: *Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt, aetum dedecoris, & vilitatis faciebat: pro inimicis crucifigentibus interpellabat?* Ob consequens ergo quoque, secundum pessimum mundi judicium, omnes Heroici servi tui, omnesque Apostoli invincibles: cuncti discipuli: Martyres: Reges: Imperatores Christiani, & Sancti reliqui: nec non quisunque militiæ tuæ milites, viles sunt,

&

& absque honore ; quia omnes inimicis suis pepererunt , illisque benefacere quæserunt ? O cæcum Mundum , & impium supra modum ! Tu ipsemet Munde impie , in Historiis tuis honoras , & celebras Cæsares , quia inter cætera opera sua inimicis ignoscebant , & faciles erant ad beneficiendum illis : Tu non vilem , sed magnanimum prædicas Octavianum Augustum in illis verbis , quæ dixit ad inimicum suum . *Olim tibi hosti o Cinna , nunc insidiatori , Es parricidæ do veniam : tam hinc inter nos inchoetur amicitia , contendamusque , utrum meliori fide ego tibi bis vitam condonaverim , an tu acceperis :* Tu inquam ita sentis , o monde , & postea , hodie ignoscere , exilitatem appetilas ?

Sed , relieto mundo in cæcitate sua , sequamur Jesum Christum Ducem nostrum : quia honor , qui hinc sequitur , magnus est : præmium inæstimabile , & necessitas inevitabilis illi , qui non vult pro semper mortuus esse . Ecce honor : ecce præmium illi , qui ignoscit , & benefacit inimicis suis : *Ut sitis , inquit Christus , Filii Patris vestri , qui in Cælis est : quis honor , quale præmium sit fieri Dei Filium , non est , qui possit capere , vel explicare . Quid dicemus dein de necessitate , quam habemus ad ignoscendum inimicis nostris ? Nos omnes debitores sumus Deo : quia omnes ipsum offendimus : singuli magis , vel minus : Nisi ignoscitis , ait ipse , neque vobis ignoscetur . Qui vindicari vult , a Domino inveniet vindictam :* Es

*peccata illius servans servabit, Eccl. 28. & alibi:*  
*Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, di-*  
*mittet Ego vobis Pater cœlestis delicta vestra.*  
*Matth. 7. Parcas ergo, mi fili, mi N. quia,*  
*si cogitationem tuam vertis ad honorem, non*  
*habes, quid dicas, & quare non statim agno-*  
*scas; si ad debita tua, non est, quid in favo-*  
*rem tuum allegari possit, ubi non parcis; si*  
*ad gentiles recurris, jam convinceris, & de-*  
*bes ignoscere; & si convictus non ignoscis,*  
*citissime condemnaberis, & ad flamas, quæ*  
*nunquam desinunt, inferorum, a dæmonibus*  
*deduceris. Audi, quid in vita Sanctorum in-*  
*ter cætera Exempla ad propositum nostrum le-*  
*gatur. Fuit unus, qui moriens noluit unquam*  
*ignoscere inimico suo, etsi multoties de hoc*  
*exoratus fuerit; dum huic, in Ecclesia, de-*  
*functorum Nocturni canebantur, cum ad ea*  
*verba pervenere cantores: Parce mihi Domine,*  
*visus est suffixus Cruci Dominus manus a Cru-*  
*ce, clavisque dissolvere, ac sibi aures obtura-*  
*re, dicens: Non pepercit, neque ego parcam.*  
*Quod si vis, ut Deus tibi parcat absque eo,*  
*quod inimico tuo parcas, scito, quod in dia-*  
*bolicam superbiam elatus es, adeoque mag-*  
*nam, ut quo nomine eam appellem, ignorem.*  
*Quare vis, ut Deus tibi obediatur, & illi obedi-*  
*re tu recusas?*



## C A P U T XVIII.

*De tertia causa, ob quam peccator differt Confessionem, id est, ob restitutionem faciendam rerum male acquisitarum.*

Tertiam causam, ob quam differtur Confessio, diximus esse: Quia infirmi rem alienam restituere nollent. Istis dicetur: Quare alienam rem restituere non vultis? O miseri! Ego non puto, quod sit ideo, quia credatis vobiscum illam deferre; nudi enim in hunc mundum venistis, & nudi cito recedere debetis. Si vero hoc agitis, ut filii vestri sint divites, magno in errore versamini; quia hoc modo, æternam damnationem vobis eligitis, ut divites filios vestros relinquatis; vobis inferos, divitias filiis vultis. Sed quid dico divitias? Occasiones potius perniciei ipsis vos vultis; hocque verum est, quia per hæc bona male acquisita, eos in via ponitis inferorum, ut damnati dein in æternum maledicant animabus vestris; imo, ob justum Dei judicium inumeras quoque miserias patientur in terris; vidimus enim ex multis experiens, quod res male a parentibus acquisitas filii cito dissipaverint: atque in extremam lapsi fuerint paupertatem. Sed etiam si tales divitiæ essent permanentes, atque perpetuæ in familia vestra, reflectite parumper ad illa verba Jesu Christi: *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?*

Quod juvamen habebitis a tot divitiis, dum propter ipsas animam vestram amiferitis? Insuper, quam satisfactionem habetis in non satisfaciendo paucis ipsis vitæ diebus, aut horis, quæ vobis adhuc supersunt, si vos conscientiæ vermis corrodit; quod est principum veri inferni? In quo posse supra modum vos affliget, recordari, derelictos a vobis suisse vestros filios divites. Agnoscetis enim, quam impie operati fueritis contra animam vestram, cum illam ad tot perpetuas pœnas condemnaveritis, ut filios vestros in momentaneis, inanibusque deliciis relinqueretis.

## CAPUT XIX.

*De quarta causa, propter quam peccator differt Confessionem, videlicet propter pudorem in confitendo.*

Pudor assignatus fuit pro quarta causa, propter quam peccator differt Confessionem. Hujusmodi hominibus a pudore detentis dicitur: Ut video, vos Confessionem fugitis propter pudorem alicujus gravis peccati; honestus quidem fuisset, & valde æstimandus pudor, quem de vobis ipsis debebatis habere in cogitationibus, quæ vos quærebant inducere ad peccatum, considerando scilicet, quod peccantes ex hominibus in bestias; imo in quid pejus, nempe ex Dei filii in dæmonis mancipia immutabimini; o quem pudorem dignum æterna vita, atque bonorum inæstimabilium habuistis.

buissetis, si ultra prædictas considerationes, insuper attente cogitavissetis, quod, peccando, peccatur ante purissimos, atque terribiles oculos Dei, qui omnia videt; ante æternum Patrem, qui propter ineffabilem amorem, quonos amat, Filium suum misit in terras ad destruendum peccatum, atque ad salvandum nos. Itaque hunc pudorem deberent habere quicunque, ubi tentantur, & ad peccatum extimulantur; sed nullo modo pudorem ad confitendum. *Pro anima tua*, ait Deus Eccl. 4. ne confundaris dicere verum: est enim confusio adducens gratiam, & gloriam. Et, ut omnitem loqui de inestimabili honore, quem confessio defert confitenti, ipsum liberans a servitate peccati, & dæmonis, ipsumque efficiens amicum, atque Filium Dei; jam ad amissum respondeo ad temptationem vestram. Vos Confessionem fugitis propter pudorem, atque honorem, & in majorem cæteris aliis errorem inciditis. Primo, cum aliquis est inhonoratus apud Deum, ejusque cælestem curiam (quod nunquam accidit, nisi propter peccatum) est incapax honoris; & quamvis cæcus mundus summopere ipsum honoraret, cito efficiet Deus, ut ab eo agnoscatur, & pro semper in honore tur, Nahum. 3. *Ostendam gentibus nuditatem tuam, & Regnis ignominiam tuam.* In quo cautus divus Augustinus Deo dicebat: *Non operui, sed aperui, ut operires; non celavi, ut tegeres; nam, quando homo detegit, Deus tegit: cum homo celat, Deus nudat: cum homo*

*agnoscit, Deus ignoscit.* Quare certi estote, quod efficacius medium peccator non habet ad honorem suum recuperandum, quam Sacramentalem Confessionem; & inter tot alias rationes, hæc adest confirmata verbo Christi Domini, qui mentiri non potest; dicit enim ipse: *Qui se humiliat, exaltabitur;* quod præcipue intelligitur in Confessione Sacramentali; ita ut, quo magis confitens superat pudorem, confitendo ignominias suas ob honorem Dei, qui sic vult; eo magis non tantum honoratur ab ipso, & a tota cœlesti aula, verum etiam ab eodem Confessario, operante sic Deo, qui omnia potest in Confessarii mente; & de hoc multa vobis exempla afferre possem relata in Sanctorum vita; sed ea, ad quos spectat, remitto. Igitur nullum melius medium adest, ut vere, & perpetuo honoremini, quam amicitia Dei, & ejusdem consecutio, quo citius fieri potest, per Confessionem, ubi antea per peccatum amissa fuit.

## CAPUT XX.

*De duabus mediis universalibus, ut infirmus ad libenter moriendum inducatur.*

**D**uo media mihi videntur pro quocunque infirmo potentissima, ut voluntas ejus inclinetur ad moriendum libenter; unum est ipsi dicere; mori, & non mori hominis non a nostra, sed a divina voluntate dependet; quapropter, si Deus vult, ut in hac infirmitate moriaris,

riaris, fili, omnes medici, quæcunque mundi remedia, cunctæ artes, nec non universæ potentiarum, & voluntates creaturarum efficere non poterunt, ut mortem effugias: *Non est consilium, non est sapientia, non est prudentia contra Deum: Ego occidam, & ego vivere faciam, percutiam, & ego sanabo: & non est, qui de manu mea possit eruere.* Idcirco, si ego te ad moriendum exhortor, non propter aliud hoc facio, quam ut bene moriaris, & in gratia Dei, qui, sicut infirmitas tua ostendit, vult, ut in ea ex hac vita decedas. *Quamobrem humilia te Deo, submittendo te potentibus ejus manibus; ac cupiditatibus, quæ te aggrediuntur, & a morte deterrent, dicas;* Ad quid cupiditates istæ, si mors mea non in meis, sed in divinis manibus posita est? Ut vero decoram magis victoriam reddas tuam, adde; *Quamvis autem in manu mea mors esset, vellem mori, videns, quod Dominus meus, & Deus meus vult, ut ego moriar; mori volo, ut illi placeam.*

Aliud medium, fili mi, est, tibi Deum sæpe imaginari dicentem; *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives: hanc vero sententiam in promptu semper habeas, ut omnia vivendi desideria superes, dicens intra te. Ad quid desideria isthæc, si postremum jam advenit vitæ meæ?* Volo igitur Creatori meo obedire, & attendere ad rerum mearum dispositionem, nec non ad subjugandos, ordinando-

dosque affectus meos , & omnia opera mea  
propter aliam vitam , atque ob Patriam cæ-  
lestem.

## CAPUT XXI.

*De infirmis tertii status , hoc est illorum , qui itidem tempus habent : conformes sunt Divinæ voluntati , & exercere valent animi sui potentias in virtutum actibus efficiendis ; nec non in quo ipsorum auxilium consistat.*

**A**uxilium infirmorum istius tertii status , qui illi sunt , ut superius diximus , qui itidem tempore non carent , conformes sunt voluntati Divinæ , & exercere possunt animi sui potentias in eliciendis virtutum actibus , consistit in edocendo ipsos quomodo se gerere debeant , ut placeant Deo : quomodo agere eos oporteat cum medico , cum illis , qui eis deserviunt , cum infirmitate , ut eam patienter sustineant , & tandem in multis aliis occasionibus , quæ iisdem contingent , vel contingere , ut plurimum , solent : quibus apta , atque optima media , & auxilia subduntur , ut nihil pro quibuslibet infirmorum istius tertii status opportunitatibus necessarium debeat desiderari .



## CAPUT XXII.

*De eo, quod infirmus agere debeat cum medico.*

**M**odus, quem infirmus servare debet **cum medico**, est, ut

Primo. Respiciat medicum, ac medicinas, velut opera bonitatis, & providentiae Dei, cui placuit providere homini in infirmitatibus, tum de medicis, tum de medicinis: istis præbendo virtutem sanandi infirmitates nostras, & illis cognitionem infirmitatum, virtutumque herbarum tribuendo.

Secundo. Scito, quod si Deus lumen medicis non concedit, & actualem concursum virtuti medicinæ: neque hæc effectum suum habebit, neque medicus infirmitatem, ejusque causam agnoscat. Ex quo tria eruenda sunt. Primum ex istis est quod confessio Sacramentalis subito facta est optima etiam pro salute corporis: quia respiciens Deus conscientiæ puritatem, audiet utique suspiria, & orationes infirmi; unde, si ita pro eo expediens fuerit, præstabit medico veram cognitionem infirmitatis, & medicinis actualem virtutem, atque effectum salutis. Secundum est, ut divites, & potentes non confidant in multitudine medicorum, doctisque eorundem collegis; tum, ut pariter non contristentur pauperes, diffidantque, ubi se derelictos inspiciunt a creaturarum auxiliis: sed isti, & illi æqualiter confidant in Deum, & ab eo dependeant, qui sanitatem donat per medicos,

dicos, & absque medicis juxta divinam suam voluntatem, ac beneplacitum. Tertium est, quod, licet dependentia nostra a Deo esse debeat, nihilominus boni medici respuendi non suat, sed potius, ubi possumus, procurandi: quorum monitis, & præceptis omnibus obtemperabitus.

## CAPUT XXIII.

*Quomodo se gerere debeant infirmi cum illis,  
qui ipsis deserviunt.*

**Q**uia vero infirmi, ut plurimum, propter suas afflictiones molesti fiunt, & tædiosi circa moderamen, & servitia, quæ ipsis præstantur: debet hoc mature præcaveri, ipsos admonendo, & hortando ad patientiam, & ad recipiendum quocunque servitium cum animo tranquillo, & quieto; quamvis pro eorum voluntate ipsis non inserviatur vel, ita iisdem videatur, eo quod afflicti reperiantur.

Ne igitur in vitium impatientiæ, atque ingratitudinis labantur infirmi, dicetur illis, ut, eo tempore, quo ipsis servitia præstantur, si hæc bona non videantur, tacite iidem infirmi dicant ad se: Siletæ jam, & quiescite, quia iudicium vestrum, hoc tempore, non est bonum, & recte non judicat; &, quando etiam ipsis quidquam quandoque deficeret in re aliqua, agant prudentes, & bonos Christianos, excusentque, & dissimulent omnia vultu læto, & cum gratiarum actione. Quod si aliqua necessaria deessent, non ideo infirmi in impatientiam excur-

excurrere statim debent : sed potius meminisse peccatorum suorum , & debiti permagni , quo justitiae divinæ tenentur , atque cum gratiarum redditione suscipere deservientium errores , cæceterosque omnes , in pœnam peccatorum commissorum , considerantes semper , quod longe melius pro se ipsis sit solvere hic paucis , & cum merito id , quod debent , quam multis , & absque ullo merito in Purgatorio. Tum recordentur itidem , quod Filius Divinus inter tot suas acerbissimas pœnas , dum erat in Cruce , neque paulisper aquæ obtinere potuit. O si sciretis , quot dantur ex infirmis , qui usque adeo derelicti ab humanis auxiliis inveniuntur , ut petræ , ne dicam homines , iisdem compati deberent ; & tamen patienti animo benedicunt Deum ; certe hoc idem libentius vos feceritis , quibus multa auxilia , & commoditates non defunt.

## CAPUT XXIV.

*Quomodo cum infirmitate se gerere debeat infirmus.*

**Q**uia infirmitas afflit , doloresque infirmo affert , idcirco modus nos bene gerendi in infirmitate , est patienter sustinere : Ad patienter igitur sufferendum per considerationes sequentes animum infirmo addemus : Stulta res est , præter dubium , in homine , nolle tolerare adversitates , doloresque , quos secum affert vita humana , & vitari non possunt. Tum nou exi-

exiguum est itidem dedecus , nondum habere  
 consuetudinem in tolerando ipsos cum tranqui-  
 lo animo ; Quod si pro dedecore reputamus exi-  
 guam doctrinam in eo , qui in scholis plures an-  
 nos versatus est , atque multum ad studia incu-  
 buit , quid dicendum de homine , qui , vix na-  
 tus in terrarum orbe , afflictionibus , atque do-  
 loribus datus est istius miseræ vitæ , si ipsos  
 nondum didicit tolerare ; Quis unquam vitam  
 istam transgit sine doloribus ? primi nostri Pa-  
 rentes , quam cito a terrestris Paradisi deliciis  
 in abyssum dolorum istius vitæ calamitosissimæ  
 ceciderunt ; quam acutos dolores in pectoribus  
 suis perpessi fuerunt , cum a Paradiso per tot  
 maledictiones ejecti sunt , quando in sudore vul-  
 tus sui vescebantur pane suo : quando horribil-  
 lem filii sui Abel mortem inspexerunt , quod nun-  
 quam antea visum fuerat , vel sub Sole conti-  
 gerat ? Et tamen omnia sustinuerunt cum animi  
 patientia . Quis ex Patriarchis , quis ex Regi-  
 bus , vel Prophetis immunis fuit a doloribus ?  
 Quis ex nobis intentionem , & atrocità-  
 tem unquam experietur in se doloris Abraham ,  
 dum mortem recogitabat , quam propriis ma-  
 nibus uno , adeoque sibi dilecto Filio Isaac in-  
 ferre debebat , ut obediret Deo ? Quis amarum  
 probavit in se Jacobi fletum , cum tunicam Jo-  
 seph , a se maxime amati , sanguine conspersam  
 vidi ? Quis dolores Davidis vel solum etiam pe-  
 netravit , cum scilicet a Palatio suo regali fugie-  
 bat , quia proprius filius , quem valde amabat ,  
 eum persequebatur ad mortem ? Et , ut reliqua  
     alios

alios omittamus de amarissimis doloribus Regis Sedeciae, cum privatus est Regno? cum ante ipsum filii proprii occisi fuerunt? cum sibi erepti oculi? ad tandem, cum catenis circa pedes positis, ad carcerem Babylonis deductus fuit? Et nihilominus inter ista omnia benedicebat Deum. Si ad Testamentum novum deinde mentis oculos converterimus, statim ante nos exponetur Caput nostrum, Christus Jesus, qui cum omni veritate Vir dolorum vocatus est: ejus Mater sanctissima vere Mare magnum afflictionum, atque amaritudinum ac cætera omnia ejus membra, Apostoli, Martyres, Pontifices, omnesque Sancti, qui dolores, atque tormenta innumera passi sunt? Ergo, N. mi, si nullus datur, qui absque dolore vixerit, unicum adest remedium; & est, omnia in patientia sustinere ac benedicere Deo; hoc namque modo querunt dolores, tot itidem erunt gemmæ coronæ, quæis in Cœlo a Creatore nostro coronabimur.

## CAPUT XXV.

*De modo excitandi infirmum ad patientiam;  
nec non de arte tolerandi.*

Ut dein infirmo ostendamus modum, ac artem ferendi dolores, atque afflictiones infirmitatis, illi dicemus: ut saepe totam cogitationem suam ad unum ex sequentibus punctis convertat: semper secum loquens in hunc, vel similem modum: Ah! qua de causa non vis edere ex illis amaris fructibus, quibus semper, &

*Scupuli Certamen.*

A a

quo-

quocunque tempore natura vescitur humana? Ad quid patientia mea valet, si a me non aufert, sed magis in me auget afflictiones? Nonne dementia hæc mea est; si, ubi corpus infirmum gero, mentem quoque infirmari permittam? Quæ si conservetur sana, quodcunque aliud malum nihil est. Caro mea forsan non est unus ex præcipuis inimicis meis? & quare igitur doleo de doloribus inimici mei? nonne offendit Deum, ut carni delectationem afferrem? & cur modo non lætor, si per ejusdem carnis dolorem offensioni Dei mei facio satis? si nullus invenitur mercator, qui omittat; ubi paucis potest numeris emere pretiosas merces: quomodo omittam ego emere Cœlum, & divitem coronam æternæ gloriæ brevibus; levibusque istis doloribus? *Id enim, quod in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum insublimitate æternum glorice pondus operatur in nobis: non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur: quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna sunt,* ait divus Paulus 2. Corinth. 4. Quænam ergo merces ista tam pretiosa, si temporali æternum, & exiguo multum emitur? Felix ego igitur sum, qui in floridis hisce nundinis invenior; quare agnoscens, quod injuste doleam, cogitare debo, quod si cupio membrum esse Christi, nulla ratio reperitur, propter quam sub Capite, spinis præcincto, membrum absque acuminum perferentia resideat. Ego volo in Cœlorum Regnum ingredi: *Per multas*

*multas tribulationes nos oportes introire in Regnum Cælorum; nec hoc mihi accidere debet nouum, quando Caput nostrum Christus, de se loquens, ait: Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Insuper dicitur infirmo: ut, præter supradictas considerationes, cum a dolore tenetur, pergit cogitatione ad Christi dolores, quos sustinebat, modo in hoc, & modo in illo passionis Mysterio; si enim occupatus in his fuerit infirmus, procul dubio ejus dolores dulces reddentur. Addet quoque jaculatorias orationes, hoc modo. Ubi vidèrit Christum Dominum angustiatum in horto madere sanguine, ita dicet ad illum: Heu! mi Domine, placebit tibi in memoria, atque virtute tormentorum tuorum, quæ in horto tolerasti, robur debilitati meæ præstare, ut valeam sustinere dolores istos una cum quocunque alio, ut placeam tibi. Alia vice, ubi consideravit, aliquantisper mysterium aliquod, imaginabitur sibi, quod crucifixus Deus ad ipsum oculos tuos vertat, ac dicat: Ecce, N. mi fili, quanta pro te ego patior! attendam nunc ego quoque, quomodo exiguos hosce dolores tuos perfieres ob amorem meum. Quid si res dura tibi videntur, tolerare; violenter tecum agas, fili; violentia namque illa est, qua Cælorum Regnum, Me ipsum, & patrem meum cœlestem rapit: in quibus consistit Beatitudo. Per gratiarum actionem Deo, qui dignos nos efficit, ut aliquid patiamur, dilatatur itidem cor ad patientiam: gaudendo nempe, quod aliquid habeamus ad*

offerendum Deo una cum doloribus Filii ejus,  
Mariæ Virginis , omniumque Martyrum ac  
Sanctorum pro indigentia nostra.

## CAPUT XXVI.

*De eo , quod ab infirmo peragendum est  
cum Deo.*

**Q**uod infirmus cum Deo observare debet, est,  
ut magis , ac magis per fidem , charitatem,  
atque dolorem de offensa ejus , cum ipso Deo  
uniatur ; quod sequenti vel alio modo fit : nul-  
lum invenitur medium aptius , ac magis potens,  
ut inducatur aliquis ad supradictas virtutes, sicut  
consideratio bonitatis divinæ ; quæ detegetur in-  
firmo successive per declarationem istorum pun-  
ctorum Quod Deus est noster Creator, Re-  
demptor, Rex, Sacrificium, Advocatus, In-  
tercessor, Pastor, Cibus, Pater, Caput, Me-  
dicus, Magister Exemplum, Via, Gau-  
dium, Veritas, Vita, Honor, Gloria, & om-  
ne Bonum : addendo , post declarationem cuius-  
vis ex ipsis punctis, hunc , vel similem loquen-  
di modum : Dilecte fili , benignum istum Do-  
minum tam multum offendisti , qui non ad In-  
feros , ut merebaris , te traxit : sed te semper  
sustinuit, semperque variis modis te vocavit ad  
se. Nonne tibi videris teneri ad ipsum amandum  
ex toto corde tuo, ex tota mente tua , ex totis vi-  
ribus tuis ? ad dolendum de ipsius offensione ?  
nec non ad sperandum in bonitate ejus, non  
tantum

tantum peccatorum tuorum veniam, sed quodcunque aliud bonum? Eja igitur istarum virtutum actus elicias, te excitando ad amorem ejus, ad dolorem de offensa illius, nec non ad spem in bonitatem ejusdem. Inter declaracionem unius, & alterius ex prædictis punctis poni itidem poterit (nec erit absque delectatione, & utilitate circumstantium) aliqua sacræ Scripturæ narratio, vel alicujus Sancti vita, quæ aperte bonitatem Dei ostendat, subdendo istis pulchrum aliquem conceptum circa bona cælestia, ut cor infirmi accendatur, & sublevetur in ipsis; quod fiet dicendo, exempli gratia: *Cum invocarem, exaudiuit me Deus: Ecce, dicitur infirmo, ita paratus, promptus est Deus ad nos juvandum in necessitatibus nostris, ut tota ejus delectatio in benefaciendo nobis hominibus miseris consistere quodammodo videatur!* Verte, ad quemcunque locum tibi placet, cogitationem tuam, fili, & ibi paratum semper Deum comperies; si enim intueberis Cœlum, terram, arbores, mare, animalia; & cætera omnia: in quacunque re inest Deus donans illis ad usum tuum continuam virtutem, atque operationem, imo, si dæmones ipsos nobis inimicos aspicies, in ipsis etiam Deum invenies, qui eos ita in potentia limitat, ut tantum; ac tantum solummodo tentare nos possint, sicut & in virtutibus exercere. Si ingredimur cor nostrum: ecce in eo Deus, qui nos de malo reprehendit, ad bonum hortatur, Cœlum promittit, & se ipsum cum Cælo, si illi obediverimus. *Explicatio*

parabolæ de Filio prodigo valde apta est pro infirmis trepidantibus justitiam Dei , ponderando nempe subsequentia puncta : *Cum adhuc longe esset , vidit illum pater ipsius , Et misericordia motus est , Et occurrens cecidit super collum ejus , Et osculatus est eum. Cito proferte stolam primam , Et induite illum , Et date anulum in manum ejus , Et calceamenta in pedes ejus , Et adducite vitulum saginatum , Et occidite , Et manducemus , Et epulemur , quia hic filius meus mortuus erat , Et revixit , perierat , Et inventus est.* Quænam ingratitudo , fatearis fili mi , dicemus ad infirmum , est nostra , quando tam benignum Patrem offendimus ? Quis veniam non sperabit a quocunque , vel gravi peccato ! O quæ felicitas illius , qui cito moritur ! cito enim pergit ad videndum Creatorem , qui ei formavit oculos , linguam , vultum , ac totum corpus : animamque in illo creavit : Redemptorem , qui proprio sanguine , ac morte salutem eidem attulit. Ad videndam , inquam , Dei pulchritudinem , quæ talis , ac tanta est ; ut implete , ac saturet sensum & infinitam capacitem ipsius Dei , qui est completa , atque perfectas felicitas. Quæ pulchritudo illa esse debet , quæ perpetua prospecta , & ab æterno ab ipso Dei oculo respecta adhuc fixam detinet beatam illam mentem , usque adeo , ut nunquam ab alio objecto distrahatur ? Præterquam quod talis pulchritudo non solum nunquam displicentiam , vel molestiam assert : sed semper incomprehensibilem causat lætitiam. O ineffabilem

bilem gratiam homini concessam ut in pulchritudine illa beatus sit, in qua Deus ipse beatus est. Præciosam ergo vocabo, fili, infirmitatem hanc tuam; quæ ex mundo ad Cœlum a tot periculis ad tutum portum: atque a miseriis innumeris ad beatitudinem Dei aperit tibi iter.

## CAPUT XXVII.

*De modo, quo uti debemus quibuscumque occasionibus, quæ infirmo accidere solent, ut idem infirmus semper unitus Domino conservetur.*

**N**on desunt occasionses, ut mens infirmi cælestibus cogitationibus, actibusque virtutum enutriatur.

A medico suscipiemus occasionem loquendi cum infirmo in hunc modum, ubi ille discesserit: Jam a medico, fili mi, visitatus fuisti: jam ejus mandata, & quidquid necessarium videtur pro infirmitate tua, intellexisti: Iste medicus, terrenus medicus appellatur: quia soli medetur corpori, quod terrenum est, & in terram reverti debet, bis in die te visitat, & solvis ipsum: modo ad cælestem Medicum mentem converte, qui sanitatem defert animæ, quæ est immortalis: immo & corpori, cum videt haec ei expedire pro salute animæ. Hic est noster Deus, Creator atque Redemptor: hic solus ille est. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: Qui sanat omnes infirmitates tuas: qui coronat te in misericordia, & miserationibus:

Neque bis tantum infirmum visitat: sed cum eo, perpetuo, commoratur: ipsum a malis custodiens, eidemque bonum procurans: *Cum ipso sum in tribulatione;* Nec aliam solutionem pro his omnibus vult, quam amorem, & quidem amorem illum, qui efficit, ut præceptis ejus obediamus: ut doleamus, cum eum offendimus: utque cum humilitate, atque fiducia cito ad pietatem ejus curramus. Quoties a divino hoc Medico accepisti prædictas gratias? Quiesce igitur jam in amore ejus, & cum omni dic affectu *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt nomini sancto ejus:* *Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones ejus* Atque hic unum advertendum est, ne in magnum errorem incidas: Tu, ut terreno Medico obtemperes, libenter multas res sensui amaras suscipis propter corporis corruptibilis salutem, & quidem incertam: quo ergo affectu, ac gratiarum per solutione sumenda est quælibet amaritudo sensuum, ut obedias Deo, &, in omni re, divinæ ejus voluntati facias satis? Itaque valde cautus in hoc sis, fili, quia de honore Dei, animæque tuæ salute hic agitur. Insuper dici poterit, nunquam inventus est Medicus aliquis terrenus, qui infirmi ægritudinem, medicinas, atque amara remedia susceperebat, ut ipsum sanaret: sed tantum pecunias, & dona; at Medicus noster divinus hæc omnia fecit pro salute nostra: *Verre languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.* Ipse amarum calicem medicinæ

dicinæ nostræ potavit *Calicem*, quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibam illum? Tum ipse pariter tulit in carne sua delicatissima omnia dolorum remedia pro salute nostra. *Ipse autem vulneratus est propter scelera nostra, & tivore ejus sanati sumus;* quare eructavit amarissima ea suspicio: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* O impiam ingratitudinem hominis, qui hunc Medicum non amat, qui Domino isti non obtemperat, & parum pati non vult pro amore ejus!

Cum ab initio pro eliciendo sanguine incidetur infirmi vena, dici ei poterit: Tu emisisti sanguinem sed una sola ex parte, & in exigua quantitate, & quidem propter amorem, quo corpus istud corruptibile diligis. Num sanguis iste subtilissimo acumine eductus est, ne damnum, aut dolorem aliquem sustineres; sed suffixus Crucis Medicus noster Divinus voluit, ut totus sanguis erueretur ab ipso, atque ex omnibus corporis sui partibus per flagellorum, acutarum spinarum, nec non crudelium clavorum immanitatem. O ineffabilis, ac dulcis amor! O bone Jesu, sis mihi, quæso, Jesus! Scis fili, quid nobis contingat, dum de amore, quo nos Deus afficit, loquimur? Eodem profus modo, sicut accidit illis, qui cum vasis suis tendunt ad mare, ut ea impleant: & vere implent: sed quid? licet saepe mare adeant, ac domum plenis cum vasis revertantur, semper nihilominus mare in immensitate sua remanet, ac si nihil ab eo sublatum fuisset: ita, inquam,

nos facimus, dum loquimur de amore divino; quamvis enim omnino intellectus nostri impletantur cognitione illius, id, quod superest ad agnoscendum, semper est infinitum.

Ubi infirmus visitatus fuerit, dicetur ipsi: Ecce quot ad te visitandum accurrunt, & solamen tibi afferunt, fili mi, sed Redemptor noster in Cruce positus voluit pro visitationibus afflictiones, & opprobria. & quidem propter salutem nostram: Prætereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua, & dicentes: *Vah qui destruis templum Dei, & in triduo reædificas illud: salva temetipsum: si Filius Dei es, descende de Cruce.*

Ubi infirmus pectus suum expurgaverit, vel os laverit, dicemus ei: Tu, Dei gratia, peccatus expurgans, lavisti utique os: sed Salvator noster, ut purgarentur pectora nostra ab iniuritatibus, tulit conspici sacratissimum vultum suum: in quem desiderant Cœlorum Angeli inquiri: *Tunc expuerunt in faciem ejus.*

Cum infirmus ex uno latere se vertet ad aliud, dicetur illi Tu sære, modo in hanc, modo in illam partem te vertis, nec quietem invenias; & ratio istius est, ægritudo tua; hoc idem accidit animæ nostræ, cum Deum relinquens infirmatur, & creaturis adhæret; se vertat, quoconque velit, in nullo unquam loco quietem inveniet: *Versa, inquit Divus Augustinus, & reversa in tergum, & in latera, & in ventrem, & dura sunt omnia: quia solus Deus est pax, & quies animarum nostrarum: in Deo*

Deo igitur, si quietem desideras, fili, cor tuum repone: in amore Dei ex uno actu in aliud te verte, & tuam omnem cogitationem illuc siste, quiesce, in doloribus offensionis ejus dolores tui corporis lenias, & in spe bonitatis ejus totally pacatus maneas.

Inspiciens vero super mensam aliquam vasā, dicetur infirmo: & quotq[ue]lchra vasa variis plena liquoribus, ac lymphis hic consistunt! Sed Filio Dei vas, quod erat paratum, plenum erat amaritudine, *Vas autem erat positum aceto plenum.* Meditare, quæso, parumper, fili, ingratitudinem nostram: licet enim vidimus, quod Christus Dominus amarum gustaverit pro salute nostra, & pro expurgandis peccatis nostris, nos nihilominus pro gratiarum actione, magis, magisque studuimus, ut ejus pectus redderemus amarum.

Flores, qui conspici solent in domicilio infirmi, occasiones item esse possunt ad detinendam infirmi mentem in Deum intentam, si ei dixerimus: Attolle aliquantisper, fili mi, interiores oculos a terrenis hisce floribus ad flos illum Divinum Filium Dei, in quo nulla suavitas veri amoris omnigenæ consolationis de-  
est; *Ego, inquit ille, flos campi;* flos campi non ab homine, sed a cælo madefit; neque hujus, vel illius est sed ejus, qui illum habere vult; tum subjectus est pedibus, non tantum hominum, verum etiam bestiarum: ita, inquam, Dei Filius non sumpsit carnem in puerissimo Mariæ Virginis sanguine ex operatione hominis.

hominis , sed Spiritus sancti *Spiritus sanctus superueniet in te , & virtus Altissimi obumbrabit tibi ; Neque istius , vel illius est : sed ejus , qui cupit ipso frui , in charitate , & obedientia præceptorum suorum : si quis vult venire post me , tollat Crucem &c.* Divinus autem hic flos non solum se Divo Josepho subjecit , ejusque Matri sanctissimæ : *Et erat subditus illis . sed bestialibus Pharisaorum , plebisque voluntatibus : Ego sum vermis , & non homo : opprobrium hominum , & abjectio plebis consideranda autem est cum dolore magna hominis superbia , qui neque Deo se submittere voluit in voluntate sua.*

Leæti pulvinaria , & cervical nobis parifor-  
miter occasionem præbebunt differendi cum infirmo ; unde poterimus illi dicere : Caput tuum habet , fili , in quo requiescat : sed caput Filii Dei non habet , ubi reclinetur , de quo ipse valde dolet , dicens : *Vulpes soveas huicent , & volucres Cœli nidos , Filius autem hominis non habet , ubi caput reclinet.* Ita , ait , ab homine contemnor , quem imaginem meam creavi , ac spacio sanguine , & morte redemi ut potius in corde suo locum vanitatibus , atque fallaciis damnum , mortemque sibi afferentibus pandat , quam mihi , qui pacem , & vitam dono. Hoc modo igitur a re omni occasionem sumere poterimus loquendi cum infirmo , & circumstan-  
tibus , ut omnes accendamus , sed præcipue infirmum , ad novos actus amoris Dei , nec non ad dolorem de offensa ejus , & ad spem in ipsius misericordia ,

## CAPUT XXVIII.

*Quid dici debeat, ubi Cruci affixi Domini  
imago præ manibus accipitur.*

**S**umetur quandoque Cruci affixi Domini imago præ manibus, &, quasi ipse Dominus loqueretur, sic cum infirmo procedemus

Ut videas, anima mihi dilecta, quam multum te amem, ante oculos tuos expono me in Čruce pendentem, capite spinis transfixo, manibus, pedibusque a clavis transfoſſis, latere per lanceam aperto, spiritu expirato, & in manus æterni Patris emisso, ut placatus in amicitiam suam te fufciptiat! Hoc considerato adorabit infirmus Crucifixum Dominum, dicens: *Ave Rex noster: tu solus nosiros es miseratus errorum; Patri obediens duxis es ad crucifigendum, ut agnus mansuetus ad occisionem: dein peculiariter caput Christi Domini adorabit, in vulneribus illis suas omnes superbes, atque inanes mergens cogitationes, quibus Majestatem divinam offendisse potuiffet, dicensque: Placeat tibi Redemptor mi, in virtute istorum vulnerum ignoscere mihi quodcunque peccatum per cogitationes à me conimissum: Adorans postea manuum plagas, omnium malorum operum patratorum veniam flagitabit; in pedum vero adoratione indulgentiam cunctorum terrenorum affectuum exposcet; ac tandem latus adorando totum una cum cogitationibus, verbis, atque actibus omnibus offendisse potuiffet Deum, immergetur in illud, ut ibi expurgetur, & tutus*

maneat à quacunque aggressione, & a quolibet malo defensus, dicendo diligenter, & ex corde: *Dominus fortitudo mea, & refugium meum, & liberator meus.* Dici itidem infirmo poterit, Crucifixō adhuc perseverante præ ejus manibus: In virtute vulnerum hujus sacratissimi Corporis Christi Domini Pater Divinus te Coronabit in Cœlo corona æternæ gloriæ: ac propter discerplos istos humeros stolam jucunditatis largietur tibi; Manus istæ clavis transfixæ sedem tuam tibi in cœlesti Patria ædificaverunt: Vulnera istorum pedum tibi viam ad Paradisum explanaverunt, ingressumqüe ad æternum gaudium aperuerunt. Offer igitur, offer fili, cum gratiarum persolutione cœlesti Patri in hoc crucifixō Domino Filium ejus: ut, ejusdem interveniente virtute, & meritis, effectus supradictos concedat tibi. *Deus meus, & Domini nostri Iesu Christi Pater, respice, rogo, faciem Christi nostri: & in virtute ejus operum parce mihi, tuoque Cœlorum Regno dignum me fac: ut ibi te adorem, ac laudem sine fine.*

Aliquando item efficiemus, ut infirmus cum omni affectu, atque fiducia Crucifixi Domini Vulnera osculetur.



## CAPUT XXIX.

*De modo instruendi infirmum ad singulare Cer-  
tamen cum hoste infernali, ubi in postrema  
mortis hora ab eo invadetur.*

**E**sse posset, dicetur infirmo, ut ægritudo vo-  
cem, auditum, & sensum omnem in extre-  
mo tibi occuparet: quo tempore nunquam ho-  
stes desistunt pugnare, ut illis cedamus: sed  
non paveas propter istud, pluris enim nobis-  
cum sunt, quam cum illis. Credes forsitan,  
tunc Christum fessum se ostensurum in operan-  
do salutem tuam? Tunc Mariam Virginem,  
& Angelorum Cæli exercitum in auxilium tuum  
paratum non fore? Si diabolus immanissimam  
voluntatem habet de damnatione tua, scito fili,  
quod major in infinitum est Deo voluntas de  
salute tua; tum, licet dæmon sciatur decipere,  
& aliquam vim habeat, in infinitum tamen a  
divina sapientia, atque potentia superatur; &  
ut hæc omnia verbo concludam, eo usque tan-  
tum diabolus poterit, tentabit, & sciens, quo-  
usque Dominus noster, qui nos salvare deside-  
rat, ei permittet. Itaque totum in manibus il-  
lius est, qui ineffabiliter nos amat. Vis melio-  
rem nuncium isto? Nihilo tamen minus vult  
Deus, ut nos quoque, ex parte nostra, cavea-  
mus, & armati simus contra aggressiones inimi-  
corum, qui extremis ipsis temporibus solent,  
ut plurimum, tentare per tentationes contra fi-  
dem, contra spem, nec non per præsumptio-  
nam,

nem, & illusiones; contra quas, ut recte decertare valeamus, peculiaria monita in sequentibus Capitulis trademus.

## C A P U T XXX.

*De modo instruendi infirmum adversus Fidei temptationem.*

In fine Certaminis nostri Spiritualis tractatum est de ipsis temptationibus tempore mortis contingentibus, sed breviter; quare hic fusius de illis, velut in loco proprio, differemus. Ut autem, mi fili, cum exigua occupatione, & semper cum victoria pugnes in certamine contra Fidem, debes omnino fugere discursus circa eandem Fidem, in hoc propugnaculo semper firmissimus manens *Ego credo, quidquid credit Ecclesia sancta Romana.* Et quamvis prodeant aggressiones auctoritatibus sacrae Scripturæ munitæ, quia omnes male adductæ, vel mutilatæ proponentur, de illis ne cures; imo nec eas consideres; hoc quippe modo, totum, instar ceræ ad ignem positiæ, vel fumi ad aërem, evanescet. Adverte itidem, quod aliquando suscitabuntur cogitationes in te, quæ in favorem Fidei videbuntur: tu nihilominus illis aures ne præbeas, pro quacunque causa, etiam si hæc evidentissima tibi appareat, quia totum hoc a dæmonis arte procedit, ut sibi januam aperiat ad disputationes, in quibus dein mentem tuam involvat; & ut idem repetam centies, ac millies, sis in ea extrema hora con-

**c**ontentus tuto isto propugnaculo : *Ego credo, quidquid credit sancta Mater mea Romana Ecclesia.* Quid credat, quomodo credat, & quare credat, velle curiose in ultimis illis conflictibus investigare, est res magni periculi ; atque ideo ad quamcunque interrogatorem, seu cogitationem circa Fidem surdus esto, quamvis tibi videretur, quod Cæli Angeli, vel etiam ipsem affixus Crucis Dominus a te requireret, ut merendi occasionem præberet tibi. Assuesce igitur, ex hoc tempore, te exercere in isto, dicendo sæpe : *Ego credo, quidquid credit sancta Mater mea Romana Ecclesia :* nec in hoc scire aliud volo. Tametsi autem totum id, quod tibi dixi, fortissimum sustentaculum sit, nihilominus totum sustentaculum tuum in omnipotencia, bonitate, ac misericordia Domini reponetur quia non est accus, aut ensis hominis, qui salvat eum, ei- que victoriam impertitur : sed dextera virtutis Dei ; quocirca ad Deum sæpe cogitatione recurre, ut a periculo te custodiat.

## CAPUT XXXI.

*De Fidei protestatione.*

**D**icitur infirmo, ut pronunciet *Credo*: Et dein: Nonne credis, fili mi, totum hoc, & quidquid aliud sancta Romana Ecclesia credit? Nonne vis in hac sancta, ac tuta Fide vivere, & mori? Converte igitur mentem ad Creatorem nostrum, & dicas :

*Domine mi Creator, non tantum placuit bonitati tuae me creasse ad imaginem, & similitudinem tuam; sed voluisti insuper, ut a Catholicis nascerer parentibus, atque in vera, & Catholica Romana Fide semper viverem. Propter hoc infinitas tibi gratias reddo, Quia vero opera tua perfecta sunt, & infinita est bonditas, & misericordia tua; Te humillime rogo, ut perfecta sit in me gratia ista, morienti nempe in sancta Fide Catholica, ac Romana; quia haec est firma, & deliberata voluntas mea; & in hoc me declaro ante te Creatorem, ac Redemptorem meum, ante tuam Matrem sanctissimam, ac Virginem immaculatam, nec non coram Angelo meo Custode, sancto Michaeli Archangelo, Angelis, Sanctisque omnibus cœli, atque etiam coram R. R. his P. P. omnibusque circumstantibus istis; & Te oro, mi Domine, in visceribus amoris illius, qui operatus est, ut de cœlo in terram descenderes, ut digneris me custodire, ne labar; vel si ob fragilitatem unquam laberer, cito me sublevare; ex hoc namque tempore detestor quemcunque lapsum, vel dubium, in quod incidere possem, & de eo, ex hoc tempore, veniam flagito.*

*Postulabit quoque infirmus auxilium Mariæ Virginis, & Angeli sui Custodis, ac sancti Michaelis Archangeli, aliorumque Protectorum suorum: totumque istud ultimo loco traditum diebus singulis sœpe faciet.*

## CAPUT XXXII.

*De Certamine contra spem; & de modo nos defendendi in eo.*

**T**ria sunt argumenta principaliora, per quæ diabolus spem nostram tentat dejicere ad terram.

Primum est, suadere nobis, quod antea&tæ Confessiones bene factæ non sint.

Secundum, quod gravitas, ac multitudo peccatorum nostrorum incapax sit indulgentiæ Dei.

Tertium, quod conversio nostra sit nimis tarda.

Defensio a prima aggressione facilis illi est, qui adhuc aptus reperitur ad agendum cum Confessario suo; huic enim dicet: Pater mi, hoc, & illud molestiam mihi affert: Quid de hoc Reverentiæ tuæ videtur? Ubi postea fecerit, quod jussum, & consultum ipsi fuerit, de eo amplius cogitare non debet, neque aures amplius molestis argumentis præbere.

Pro illis vero, qui, satis morti propinqui, non possunt circa præteritam vitam discurrere, remedium quoque est facile; debent hi dicere sibi ipsis: Ego credo, quod transactæ Confessiones bene fuerint factæ; sed, si tales non fuerunt ob aliquem errorem meum, de illis, mi Domine, doleo, & veniam peto, confisus in sanguine, ac morte Filii tui: promptusque ego sum, & paratissimus ad faciendum id om-

ne, ad quod teneor, si concedatur mihi potestas hoc faciendi; hoc vero satis erit; atque ideo, ubi hoc fecerimus, statim formidinem omnem propellemus a nobis.

Pro secundi argumenti responsione, nos scimus ipsum Salvatorem nostrum dixisse: Se in terram ad salvandos peccatores venisse, pro illis carnem sumpfisse, pro illis natum fuisse, pro illis in terra triginta tres annos versatum esse, pro ipsorum salute concionatum fuisse, atque divinam doctrinam docuisse: tum, pro salvandis iisdem peccatoribus, tot penas, & tormenta in vita, in passione, in cruce, in morte sustinuisse. Nonne dixit ipse Deus per os Prophetæ sui in Veteri Testamento: *Quiescite agere perverse: discite bene facere, & venite, & arguite me, dicit Dominus, si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealabantur: & si fuerint rubra sicut vermiculus, velut lana erunt alba.* In novo vero Testamento sanans Salvator noster socrum Simonis, unicum filium viduæ Naim & Lazarum quadriuanum, nonne manifeste ostendit, nullum inveniri peccatum, quod benignissimus Deus non ignoscat illi, qui cum humilitate, ac fiducia, ad piissima ejus brachia recurrit?

Tertium argumentum solo sacræ Scripturæ dicto affatim annihilatur; dictum vero istud est: *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua.* Ezechielis cap. 33. v. 12.

## CAPUT XXXIII.

*De tertia aggressione, quæ est præsumptio; &  
de modo eam repellendi.*

**S**ubjugatis hostibus in supradictis duabus aggressionibus, solent nōs per præsumptionem aggredi; quod quidem agunt duobus præcipuis modis.

Primus modus est, efficere, ut præsumamus de operibus nostris, & in illis salutem nostram ponamus,

Secundus est, nobis suadere, quod Deus nobis magis, quam aliis faverit, & faveat.

Quoad opera propter duas rationes, inter reliquas, erramus, si nostris operibus nitimur. Ratio una est, quia nescimus, an operationes illæ acceptæ fuerint Deo; alia vero ratio est: quia ex operibus bonis labi possumus in aliquam iniquitatem, quæ sempiternam mortem pariat nobis.

De præsumendo postea in singulari misericordia, alia hic subdere non est opus, nisi, quod talis præsumptio sit mera superbia, quam fugere, atque odisse usque ad mortem debemus; unde dicet sæpe infirmus intra se: *Nescit homo, utrum odio, aut amore dignus sit;* & non intres in judicium cum servo tuo, Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

## CAPUT XXXIV.

*De aliquibus monitis infirmo antecedenter  
dandis, ut in ultimo punto mor-  
tis iis uti possit.*

**D**ilecte fili, si ob infortunium, dicetur infirmo, vel ob exiguam advertentiam in aliquod Fidei dubium incideres, vel in cogitationes desperationis, præsumptionis, infidelitatis, aut alterius rei, ne animo concidas, etiamsi inimici tibi dicerent, aetum esse de te: sed ubi poteris, confitearis illico; ubi vero non poteris, saltem dicas corde: *Deus propitiatus esto mihi peccatori.* Et, si potes, aliquod signum contritionis efficias, atque doloris; te enim infallibiliter juvabit Dei pietas. Mentem saepe etiam converte ad auxilium Mariæ Virginis, atque Angeli tui Custodis, & aliorum Protectorum tuorum, incipiens ex hoc tempore assuefieri in istis aetibus. Memento pariter ex nunc, quod, ubi ostendero vulnera pedum suffixi Crucis Domini, te ad humilitatem, sanctumque Dei timorem hortari vellem, dicens nomine tuo. *Non intres in judicium cum servo tuo Domine:* Ostendens vero manuum vulnera, ad spem meritorum Christi te vocabo, & pro te dieam: *In te Domine speravi, non confundar in aeternum.* Ostendens autem latum apertum, ad Dei amorem invitabo te, & proferam in persona tua: *Diligam te Domine fortitudo mea.* Ostendens item totum Crucifixum,

fixum, denuo ad amorem, & spem in eum  
invitabo te, ac pro te dicam: *Jesu sis mihi  
Jesus*: tum attollens ego manus ad cœlum, in  
nomine tuo pronunciabo: *Qemadmodum desi-  
derat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat  
anima mea ad te Deus*. Et coram te imagi-  
nem Beatæ Virginis sistens, in persona sua  
recitabo:

*Maria Mater gratiæ:  
Mater misericordiæ:  
Tu nos ab hoste protege:  
Et hora hac mortis suscipe*

Nonne cupis, ut ego in nomine tuo prædi-  
etas orationes, & affectus, aliaque peragam,  
quæ Deus mihi inspiraverit? Sis igitur latus,  
& confide in eo, qui te creavit, atque re-  
demit.

Cave semper a visionum desiderio, quod  
si eas videris, ne illas cures, aut adores, etiamsi  
ad hoc t' e interius motum sentires: sed mente  
converlus ad Sanctum, quem repræsentant,  
ipsum adora in cœlo; si vero Mariam Virgi-  
nem repræsentant, eam in dextera Filii ejus  
adora, si autem Filium Dei, in dextera Dei  
Patris, atque in sanctissimo Altaris Sacramen-  
to adoretur a te.



## CAPUT XXXV.

*De eo, quid dicendum iest, ubi infirmus per  
Viaticum communicatur.*

**C**um sanctissimum Altaris Sacramentum adfuerit, dicetur infirmo, antequam communicetur: Ecce unicus mundi Salvator absconditus sub speciebus istius Hostiæ consecrata! Hic adest benedictus ille Filius, quem divinus Pater propter nimiam charitatem, quæ dilexit nos, misit in mundum. Hic, inquam, absconditus manet Agnus immaculatus, qui in Cruce mortuus est, ut tolleret peccata mundi. Nonne istud totum credis? nonne firmiter tenes, quod manducando ex hoc pane, cum bene sumus dispositi, multos favores, ac gratias, & inter alias, postremo hoc tempore, virtutem nobis sit præstitus, duxque futurus in cœli via? Nonne ardenter desideras ipsum sumere ob prædictos effectus, atque ut illi placeas? Nonne indignum te agnoscis, fili, tanto bono, ad recipiendum scilicet intra te immensum hunc Dominum? Dic igitur ex corde: *Domine non sum dignus: ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur anima mea: non semel tantum, aut bis: sed ter, & quater.*



## CAPUT XXXVI.

*De quarto infirmorum statu, id est de iis, qui parum, aut nihil amplius sentiunt, vel valde difficulter aliquem virtutis actum elicere queunt.*

In quarto infirmorum statu enumerati ii sunt, qui parum, aut nihil amplius sentiunt, vel valde difficulter aliquem virtutis actum elicere possunt. Istorum auxilium erit, saepe mentem nostram in Deum coram ipsis intendere, orando pro iisdem in hunc, vel similem modum: Ecce, Creator cœli, & terræ, creatura tua, quam tam alto consilio, & amore ad imaginem, & similitudinem tuam creasti! Ne, quæso, opus tuum contemnas, quamvis, propter peccatum ab eo factum, defectuosum sit. Ecce o verbum incarnatum, creatura illa, quæ erat jam caro tua! ne illam odio habeas, etsi nuda sit operibus bonis; sed illam indue, mi Domine, bonis, ac meritis tuis, sicut nobis mandas, ut faciamus cum aliis. Ecce, divine Legislator, creatura hæc in peccatis suis inimica tua! Ignosce Domine inimicis tuis, & fac illis bonum; quia sic jubes, ut inimicis nostris faciamus: Ecce, Pastor bone, ovis desperita, quam triginta tres annos infecutus es in hac lacrymarum valle; ne permittas, rogo, mi Pastor, ut a divinis humeris tuis in luporum infernarium decidat manus: sed ipsam deduc ad Ovile tuum. Ecce, mundi Redemptor, crea-

tura, pro qua adeo inenarrabiliter Crucis tormenta tulisti! ne illam nunc deseras, licet ingrata tibi fuerit. Salva illam, Domine, obsecro, in memoriam angustiarum illarum, quas tolerare in horto tibi placuit. In virtute sacratissimorum tuorum vulnerum, nec non sanguinis, ac mortis tuæ illam salva. Psalmorum versiculis tempori, & loco aptis itidem utemur, ut infirmum juvemus. Si timidus est, dicatur:

*Adjutor meus, & Liberator meus es Tu, Domine, ne moreris. In Te Domine speravi, non confundar in æternum. In Te speraverunt Patres nostri, speraverunt, & liberasti eos; ad Te clamaverunt, & salvi facti sunt: in Te speraverunt, & non sunt confusi. Deus, ne elongeris a me! Deus meus, in auxilium meum respice. Deus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me festina. Deus noster refugium, & virtus: Adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis. Miserere mei, Deus, miserere mei quoniam in Te confidit anima mea, & in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas. Domine, vim patior, responde pro me. Quare tristis es anima mea? Et quare conturbas me? Spera in Deo: quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus, Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum: concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini. Beati, qui habitant in domo tua Domine: in sæcula sæculorum laudabunt Te. Convertere Domine, & eripe animam*

*mam meam : salvum me fac propter nomen tuum, & propter misericordiam tuam. Eripe me de inimicis meis. Domine clamavi ad Te : dixi : Tu es Spes mea , Portio mea in terra Viventium.*

*Si vero timetur , quod infirmus de se ipso, ac de suis operibus præsumat , versiculi erunt, qui sequuntur :*

*Non intres in judicium cum servo tuo , Domine , quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Si iniquitates observaveris , Domine , Domine , quis sustinebit? Non enim in arcu meo sperabo , & gladius meus non salvat me. Non nobis , Domine , non nobis : sed nomini tuo da gloriam. Deus propitius esto mihi peccatori.*

*Dicetur pariter sæpe : Jesu sis mihi Jesus ! Jesus Maria ! adjuva me propter temet ipsum , & propter Matrem tuam !*

*Maria Mater gratiæ :*

*Mater misericordiæ :*

*Tu me ab hoste protege :*

*Et hora hac mortis suscipe.*

*Signetur infirmus multoties Crucis signo in fronte , super oculos , super os , & super petus , dicendo in quoque signo : Jesus , Maria , Jesus Nazarenus Rex Iudæorum , salvum me fac in nomine tuo. Tum sæpe etiam aqua benedicta aspergatur. Legatur quoque passio Jesu Christi , dicantur Litaniæ , & alia , quæ a Rituali Romano apta hoc tempore præscribuntur. Dicetur vero circum-*

*stanti-*

stantibus, ut orent pro eo: ac tandem variis modis quicunque incumbet ad ipsum juvandum, recordatus illius dicti Salvatoris nostri:  
*Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.*

## CAPUT XXXVII.

*Quid fieri debet, ubi infirmus e vivis excefferit.*

**M**ortuo infirmo, bonum est pergere ad aliquam partem, ut illius domestici eum possint commodare; dicemus tamen nos eo tempore officium mortuorum; tum redeentes ad cognatos mortui, hoc modo cum illis loqui poterimus. Laudo vos, quod fleatis, quia, præterquam quod res grata Deo est, lugere mortuos, humani cordis est signum: sed verum etiam est, quod planctus indiget modo, & mensura, ne tam laudabile opus vertatur in vitium. Ut vero moderari incipiamus lacrymas, audiamus aliud, quod cuilibet ex nobis mortuus dicit: etsi non audiatur vox ejus: *Memor esio, ipse ait, judicii mei, sic enim erit & tuum: mihi heri, & tibi hodie, jam ego mortuus sum, nec multum deest, ut tu pariter moriaris; neque tempus redibit denuo vitæ nostræ.* Ab heri usque ad hodie dici potest, quod homo vivat, adeo velociter hujus vitæ umbra transivit; vita enim vera nulla adest præter illam Cœli. Ad quid igitur tot abundantes lacrymæ super me? Si flendum est, super vos utique flete: qui pariter ad

mor-

mortem citato tenditis cursu ; & , ut melius dicam, si me, & vos amatis ; omittite lacrymas ; quia me istae non juvant ; vobis vero cum nimis abundantes sint , tum corpori , tum animæ nocent. Insument ergo tempus lacrymarum in orando Deum pro me: considerantes , quod judicia plus in animabus purgandum inveniunt , quam ullus credat. Tum ego , velut amicus vester , ad virtutes vos horror ; ad amorem Dei , & proximi : atque ad mundi contemptum. Quid mihi profuere carnis delectationes ? Quid desideria ? Quid superbia ? Quid vanitas mundi ? Ecce omnia ad instar venti velocissime transierunt ! Quod solum mihi remansit , sunt acerbissimæ pœnæ , quas Dei gratia , ut sperare debetis , non in inferno : sed in purgatorio me luere oportet. Quapropter vos oro , ut mihi , omnibus mediis , quæ sancta Romana Ecclesia vos docet , auxiliemini ; & ut finem sermoni meo imponam , vos rursus rogo , ut ea faciatis , dum vivitis , quæ fecisse in mortis extremo voluistis. O quis dolor ! o quis dolor est , cogitare in mortis articulo bonum , quod fieri poterat , atque occasiones , quas ad faciendum illud habuimus , & non fecimus ! o quot æterna bona amittuntur ; o quot amittuntur bona , miserrime , & insensate monde ! Sitis vos ergo sapientes , intelligentes , & prudentes : vitamque vestram ad postremas necessitates , atque ad mortem dirigite , & componite ; in hoc enim consistit totum ; & quidquid aliud Vanitas , & Nihil est.

## CAPUT XXXVIII.


*De quinto, & ultimo infirmorum statu, vide  
licet de Convalescentibus.*

**C**onvalescentes adnumerati sunt in quinto sta-  
tu: quibus ita loquemur: Procul dubio  
**c**redo, quod, in infirmitate ista, multa filii  
mei videritis: quia majori cum sensu agnovi-  
stis, vos esse mortales, terrenas res volociter  
præterire: vestram adhæsionem creaturis tena-  
ciorem esse, quam putabatis, (unde non ita  
facile, ac absque dolore homo ab ea se remo-  
vet) ac tandem terribiliter vos terreri a stri-  
Etissima ratione, quæ Deo de tota vita nostra  
reddenda est; dulcem vero esse memoriam  
operationum bonarum patratarum. Quod col-  
ligere debetis ex hoc toto, est, ut instar pru-  
dentis Dicis, visis infirmis cordis vestri par-  
tibus, vestrisque inspectis erroribus, vacetis  
hoc exiguo vitæ tempore, quod vobis super-  
est, cum omni solertia munimentis vestris:  
ut adveniens mors paratos nos inveniat, &  
ad veram vitam transitum vobis pandat. Quod  
quidem fiet, hoc modo: Quotidie mane vi-  
deamini vobis audire singuli vestrum has vo-  
ces: *Dispone domui tuæ: quia morieris tu,*  
*& non vives, &, velut si vobis sola dies con-*  
*cessa foret, incumbite in quibuscumque aëlio-*  
*nibus vestris, ut puram, & mundam conscienciam*  
*conservetis, mortificantes semper passiones,*  
*& motus: mundum aspernantes: animamque*  
*virtutum aëtibus exornantes, ut placeatis Deo.*


Ut

Ut faciatis omnia , iusta vobis sunt necessaria ,  
 Vigilantia , Violentia , Oratio , Meditatio , &  
 & sanctissimorum Sacramentorum Frequentia .  
 Assuescetis igitur vigilare supra cor vestrum : ut  
 se retrahat , & amplius non adhaeret creaturis ;  
 experientes vero in hoc laborem , violenter con-  
 tra vos agite , statimque ad orationem confu-  
 gite , hoc , vel simili modo dicentes : Heu ,  
 mi Domine , libera me ab inimicis meis , at-  
 que ab omni adhesione mea ad res creatas :  
 Auxiliare mihi , mi Deus , ne istis motivis vo-  
 luntati tuæ contrariis cedam . Meditatio dein  
 erit , considerare rem aliquam , quam Dei Fi-  
 lius fecit in vita sua , atque in Mysteriis Cru-  
 cis : ubi videntes , quod totum dedit , & in-  
 sumpsit pro vobis : ne vos etiam pigras vos  
 ipsos omnino tradere voluntati ejus : quæ ni-  
 hil aliud vult , quam bonum vestrum , & qui-  
 dem tale bonum , quod percipi nequit , quia  
 vos optat in Cælo secum ipso : ut eodem ci-  
 bo gaudii perfectionis , atque benedictionis  
 fruamini , quo ipsemet pascitur in sempiter-  
 num . Quod si habere fuse cupitis modum  
 vivendi , & moderandi vos ipsos , vestrosque  
 inordinatos animi motus , nec non ornandi vos  
 virtutibus , ac omni alio , quod vobis necessa-  
 rium est : ut amini *Spirituali Certamine* , in  
 quo ad amissim , exacteque omnia ego doceo .





# INDEX CAPITULORUM.



## *LIBER PRIMUS.*

### CERTAMEN SPIRITUALE.

CAP. I. In quo consistat vera Christiani hominis perfectio, quod pro ea pugnandum sit; & de quatuor mediis ad eam obtinendam necessariis.	Pag. 1
CAP. II. De Diffidentia sui ipsius.	8
CAP. III. De Confidentia in Deum.	11
CAP. IV. Quomodo cognoscitur, quando homo cum diffidentia sui ipsius, & in Deum confidentia operatur.	14
CAP. V. De multorum errore, a quibus inter virtutes pusillanimitas numeratur.	16
CAP. VI. De aliis mediis, per quæ diffidentiam nostri, & confidentiam in Deum obtainamus.	17
CAP. VII. De Exercitio; & primo de intellectu, qui caute ab ignorantia custodendus est.	19

CAP.

## I N D E X.

- CAP. VIII. De altero hoste, seu de curiositate  
a qua intellectum tueri quoque debemus, ut  
recte decernere possit. Pag. 21
- CAP. IX. De causa, propter quam res bene a  
nobis non cognoscantur; & de modo, quo  
recte agnosci possint. 24
- CAP. X. De voluntatis Exercitio, & de scopo,  
in quem omnes nostræ intentiones, & exte-  
riores operationes, collimare debent. 26
- CAP. XI. De quibusdam considerationibus,  
quæ voluntatem nostram possunt inducere ad  
operandum omnia propter hunc solummodo  
finem, placendi Deo. 33
- CAP. XII. De duabus voluntatibus, quæ sunt  
in homine; & de pugna earum inter se. 34
- CAP. XIII. De modo pugnandi adversus mo-  
tus inferioris, seu sensualis voluntatis, nec  
non de actibus, quos nostra superior, &  
rationalis voluntas debet elicere, ut virtu-  
tum habitus comparet. 38
- CAP. XIV. Quid agendum, cum superior no-  
stra voluntas ab inferiori, & ab aliis hosti-  
bus victa, atque subjugata omnino vide-  
tur. 45
- CAP. XV. De quibusdam monitis circa mo-  
dum certandi, & præsertim adversus quos  
hostes, & qua virtute certandum est. 48
- CAP. XVI. Quomodo primo mane debeat Chri-  
sti miles egredi ad certamen. 50
- CAP. XVII. De ordine servando in certamine  
contra malas propensiones nostras. 53

## I N D E X.

- CAP. XVIII. De modo subitis passionum motibus obſtendi. 54
- CAP. XIX. De modo certandi contra vitium carnis. 56
- CAP. XX. De modo certandi aduersus negligenciam. 64
- CAP. XXI. De exteriorum sensuum regimine, & quomodo per illos transire possumus ad Divinitatis contemplationem. 69
- CAP. XXII. Quomodo res ipsæ medium nobis esse possunt ad sensus nostros moderandos ; transitum nempe faciendo ad incarnationi Verbi, ejusque vitæ, & passionis considerationem. 73
- CAP. XXIII. De novo modo sensus nostres moderandi juxta varias occasiones, quæ nobis occurruut. 76
- CAP. XXIV. Modus moderandi linguam. 82
- CAP. XXV. Ut Christi miles bene contra suos hostes decertet, debet pro omnibus suis viribus cordis perturbationes, & molestias effugere. 85
- CAP. XXVI. De eo, quod a nobis agendum est, ubi ab hostibus fuimus vulnerati. 89
- CAP. XXVII. De ordine, quem servat diabolus in pugnando, & in decipiendo, non tantum illos, qui cupiunt se omnino virtuti tradere, verum eos etiam, qui jam in peccati servitute detinentur. 93
- CAP. XXVIII. De certamine, atque fallaciis, quibus utitur dæmon aduersus illos, quos in peccatorum servitute devinctos tenet. 94
- CAP.

I N D E X.

- CAP. XXIX.** De arte, atque fallaciis, quibus dæmon illaqueatos eos tener, qui proprium malum agnoscentes, vellent ab illo liberari; & quare effectu sæpe careant proposita nostra? Pag. 95
- CAP. XXX.** De illorum errore, qui se velociter ad perfectionem pergere arbitrantur. 99
- CAP. XXXI.** De insidiis, atque certamine, quibus diabolus utitur, ut a nobis deseratur via, quæ ad virtutem perducit. 101
- CAP. XXXII.** De quinta, seu ultima aggræsione, & fallacia, qua nos tentat diabolus, ut virtutes aquilisæ occasiones exitii nobis sint. 105
- CAP. XXXIII.** De quibusdam monitis ad malas tentationes subjugandas, virtutesque novas adipiscendas. 114
- CAP. XXXIV.** Quod paulatim virtutes acquirendæ sunt, nempe per earundem gradus nos exercendo, atque uni prius, & postea alteri operam dando. 118
- CAP. XXXV.** De mediis, quibus obtinentur virtutes; & quomodo illis uti debeamus, ut pro aliquo tempore uni soli navemus operam. 119
- CAP. XXXVI.** Quod in virtutum exercitio cum sollicitudine continua progredi oporteat. 123
- CAP. XXXVII.** Quod fugiendæ non sint occasions, quæ ad consequendas virtutes se offerunt; eo vel maxime, quod in virtutum

## I N D E X.

- tutum exercitatione semper esse debeamus. Pag. 124
- CAP. XXXVIII.** Quod gratae, & charæ nobis esse debeant occasiones omnes decertandi propter virtutum consecutionem, & illarum vel maxime, quæ majores secum afferunt difficultates. 127
- CAP. XXXIX.** Quomodo diversis occasionibus uti possumus, ob unius, ejusdemque virtutis exercitium. 130
- CAP. XL.** De tempore, quod in unius virtutis exercitio insumendum est, & de signis, a quibus cognoscere possumus nostrum in spiritualibus progressum. 132
- CAP. XLI.** Quod cupere non debemus exemptionem a molestiis, quas patienter perferimus; & de modo nostras gubernandi passiones, ut nobis prodeesse possint. 134
- CAP. XLII.** De modo vim inferendi dæmoni, cum quærat decipere nos per indiscretionem. 137
- CAP. XLIII.** Quam potens in nobis sit mala nostra propensio, nec non dæmonis incitatio, ut ad judicandum de nostro proximo nos inducat; & demum de modo iisdem resistendi. 139
- CAP. XLIV.** De Oratione. 143
- CAP. XLV.** Quid sit oratio mentalis? 149
- CAP. XLVI.** De oratione per modum meditationis. 151
- CAP. XLVII.** De altero modo orandi per meditationem. 153
- CAP.**

I N D E X.

- CAP. XLVIII. De modo orandi medio Mariæ Virginis. Pag. 154
- CAP. XLIX. De quibusdam considerationibus, ut cum fiducia ad Mariam Virginem confugiamus. 157
- CAP. L. De modo meditandi, & orandi medio Angelorum, & Beatorum intercessione. 159
- CAP. LI. De meditatione passionis Jesu Christi ; & quomodo plures ex ea affectus exercipi possint. 162
- CAP. LII. De profectu , qui derivari potest in nos a crucifixi Domini meditatione, ejusque virtutum imitatione. 168
- CAP. LIII. De sanctissimo Eucharistiæ Sacramento. 174
- CAP. LIV. De modo sumendi venerabile Eucharistiæ Sacramentum. 175
- CAP. LV. Quod ad sanctissimam Communio- nem nos præparare debemus; ut amorem in nobis erga Dominum excitemus. 180
- CAP. LVI. De modo præparandi nos ad sanctissimam Eucharistiæ mensam , cum jam tempus prope est adeundi ipsam. 185
- CAP. LVII. De Communione spirituali. 189
- CAP. LVIII. De gratiarum actione. 192
- CAP. LIX. De oblatione. 193
- CAP. LX. De sensibili devotione , deque ei contraria ariditate. 197
- CAP. LXI. De conscientiæ examine. 203
- CAP. LXII. Quod in hoc Spirituali Certamine semper pugnare oporteat usque ad mortem ; sive de perseverantia. 204

## I N D E X.

- CAP. LXIII.** Quomodo præparare nos debeamus adversus hostes , qui nos tempore mortis aggrediuntur. Pag. 206
- CAP. LXIV.** De quatuor aggressionibus inimicorum nostrorum mortis tempore, & primo de illa contra Fidem , deque modo nos defendendi ab ea. 208
- CAP. LXV.** De secunda agressione, nempe desperationis , ejusque remedio. 210
- CAP. LXVI.** De tertia agressione , id est, de inani gloria. 211
- CAP. LXVII.** De quarta agressione , scilicet de illusionibus, falsisque imaginibus. 212
- 

## *LIBER SECUNDUS.*

### ADDITA CERTAMINI SPIRITUALI.

- CAP. I.** Quid sit Christiana Perfectio. 214
- CAP. II.** Quod pugnare oporteat, ut Christianam perfectionem consequamur. 215
- CAP. III.** De tribus rebus, quibus indiget natus Christi miles, ibid.
- CAP. IV.** De Resistentia, & Violentia ; nec non de arte adhibendi arma in Certamine Spirituali. 216
- CAP. V.** Quod vigilare perpetuo debemus supra voluntatem nostram , ut agnoscamus , cuinam ex passionibus eadem voluntas addicta sit. 218

CAP.

I N D E X.

CAP. VI. Quod, ubi sublatus est noster amor erga creaturas, & nos ipsos, ac Deo donatus, quidquid aliud bene se habet. Pag.	219
CAP. VII. Quod oporteat voluntati humanæ succurrere.	221
CAP. VIII. Quod per victoriam mundi, voluntati hominis magnopere subveniatur.	222
CAP. IX. De secunda voluntatis subventione.	224
CAP. X. De temptationibus superbiæ spirituallis.	225
CAP. XI. De tertia voluntatis humanæ subventione.	227
CAP. XII. Quid agere debeat homo, ut habeat, quoties vult, præsentem Deum.	ibid.
CAP. XIII. De aliquibus monitis circa orationem.	229
CAP. XIV. De alio modo orandi.	230
CAP. XV. De quarta voluntatis humanæ subventione.	231
CAP. XVI. De meditatione Essentiæ Divinæ.	232
CAP. XVII. De meditatione potentiarum Dei.	ibid.
CAP. XVIII. De meditatione sapientiarum Dei.	ibid.
CAP. XIX. De meditatore bonitatis Dei.	234
CAP. XX. De meditatione pulchritudinis Dei.	ibid.
CAP. XXI. Quid fecit Deus pro homine, & quo animo; ac quid insuper faceret, si opus esset.	235
CAP.	

I N D E X.

CAP. XXII. Quid facit Deus quotidie propter hominem.	Pag. 236
CAP. XXIII. Quam magnam bonitatem ostendat Deus, exspectando, & tolerando peccatorem.	237
CAP. XXIV. Quid facturus sit in vita æterna Deus, non solum illi, qui semper Divinæ Majestati suæ est famulatus, verum etiam peccatori converso.	238
CAP. XXV. De quinta humanæ voluntatis subventione.	240
CAP. XXVI. Quomodo agnosci potest amor proprius.	241
CAP. XXVII. De sexta subventione.	243
•CAP. XXVIII. De Communione Sacramentali.	245
CAP. XXIX. De Confessione Sacramentali.	246
CAP. XXX. Quomodo vinci debeant inhonesti motus.	248
CAP. XXXI. A quot rebus fugiendum est, ne in turpe carnis vitium prolabamur.	250
CAP. XXXII. Quid fieri beatum, cum in hoc dishonestum vitium incidimus.	251
CAP. XXXIII. De aliquibus motivis, propter quæ peccator cito ad Deum converti debet.	252
CAP. XXXIV. De modo procurandi lacrymas de offensa Domini, nec non etiam conversionem.	255
CAP. XXXV. De aliquibus rationibus, propter quas non flemus offenditam Dei, & absque virtute, ac Christiana perfectione vivimus.	257
CAP.	

## I N D E X.

- CAP. XXXVI. De amore erga inimicos. P. 260.  
CAP. XXXVII. De conscientiæ examine. 262  
CAP. XXXVIII. De duabus regulis, ut in pa-  
ce vivamus. 263
- 

## *LIBER TERTIUS.*

### VIA PARADISI, SEU DE PACE INTERIORI.

- CAP. I. Quænam sit cordis nostri natura; &  
quomodo gubernanda. 266  
CAP. II. De cura, quam habere debet anima,  
ut se paci restituat. 267  
CAP. III. Quomodo paulatim pacifica cordis  
habitatio ædificanda sit. 269  
CAP. IV. Quod anima refutare debeat quod-  
cunque solatium, quia hoc est vera humili-  
tas, ac spiritus paupertas, qua pacem ani-  
mæ adipiscimur. 270  
CAP. V. Quod anima in mentali sollicitu-  
dine conservari debeat, ut Deus operetur  
in ipsa. 272  
CAP. VI. De prudentia, quam in amando pro-  
ximo habere debemus, ne turbetur pax cor-  
dis nostri. 274  
CAP. VII. Quomodo anima propriæ volun-  
tate despoliata præsentare se debet coram  
Deo. 277

## I N D E X.

- CAP. VIII.** De fiducia, quam habere debemus  
in sanctissimo Altaris Sacramento, & quomodo  
offerre nos Domino debeamus. Pag. 281
- CAP. IX.** Quod deliciæ querendæ non sunt;  
sicut nec aliquid aliud, quod consolationem  
adferat, sed solus Deus. 282
- CAP. X.** Quod animo excidere non debet Dei  
servus, quamvis sentiat in se repugnantiam,  
& perturbationem propter hanc pacem in-  
teriorum. 284
- CAP. XI.** De diligentia, qua diabolus utitur,  
ut hanc pacem perturbet; & cavere debe-  
mus ab ejus fraudibus, ac fallaciis. 286
- CAP. XII.** Quod inquietem pati non debeat  
anima ob tentationes interiores. 290
- CAP. XIII.** Quod tentationes nobis a Deo mit-  
tantur ob progressum nostrum. 291
- CAP. XIV.** De remedio, quo uti debemus,  
ne in peccatis, & fragilitatibus nostris in-  
quietem patiamur. 296
- CAP. XV.** Quod anima quiescere debeat, &  
proficere absque temporis amissione. 299
- 

## *LIBER QUARTUS.*

### **DE MENTALIBUS DOLORIBUS A JESU CHRISTO IN PASSIO- NE SUA PERPESSIS.**

- Proœmium.** 302
- CAP. I.** Primus dolor mentalis Jesu Chri-  
sti fuit propter animas sibi unitas, quæ dam-  
nandæ erant. 304
- CAP.**

## I N D E X.

- CAP. II. Secundus dolor mentalis Jesu Christi fuit propter peccata omnium electorum. Pag. 308
- CAP. III. Tertius dolor mentalis Jesu Christi fuit sanctissimæ Virginis, ac Matris suæ causæ. 312
- CAP. IV. Quartus dolor mentalis Jesu Christi fuit pro amantissima discipula sua Maria Magdalena. 314
- CAP. V. Quintus dolor mentalis Jesu Christi fuit propter amatos sibi, charosque discipulos, atque Apostolos. 318
- CAP. VI. Sextus dolor mentalis Jesu Christi fuit propter ingratitudinem amati ejus discipuli Judæ proditoris. 319
- CAP. VII. Septimus dolor mentalis Jesu Christi fuit propter ingratitudinem Judaici populi. 322
- CAP. VIII. Octavus dolor mentalis Jesu Christi fuit propter ingratitudinem omnium creaturarum. 323
- 

## LIBER QUINTUS.

MODUS JUVANDI, ET CONSO-  
LANDI CUJUSCUNQUE GENE-  
RIS INFIRMOS AD BENE  
MORIENDUM.

- CAP. I. Quam magnum, & laudabile sit opus juvandi infirmos. 328

## I N D E X.

- CAP. II.** De considerationibus peragendis, cum ad juvandos infirmos vocamur. Pag. 329
- CAP. III.** De præcipuis mediis, quæ nos ad infirmos juvandos fortes reddunt. 330
- CAP. IV.** De statibus, in quibus esse possunt infirmi. ibid.
- CAP. V.** De modo auxiliandi infirmis primi status, nempe illis, quibus brevissimum vitæ spatiū conceditur. 331
- CAP. VI.** De modo juvandi infirmos secundi status, scilicet eos, quibus majus tempus ad mortem datur, &, ut plurimum conformare se nollent voluntati divinæ. 332
- CAP. VII.** De prima imagine ærumnarum vitæ humanæ ad infirmorum secundi status juvamen conferente. 333
- CAP. VIII.** De secunda imagine miseræ hominis vitæ, in auxilium item infirmorum secundi status depicta. 335
- CAP. IX.** De tertia imagine vitæ humanæ pariformiter pro utilitate infirmorum secundi status delineata. 337
- CAP. X.** Quomodo juvandi ii, qui tentantur, eo quod juvenes moriantur. 341
- CAP. XI.** De auxilio illorum, qui, utpote in dignitatibus constituti, nollent mori. 344
- CAP. XII.** De modo succurrenti illis, qui propter filios suos, quos debent relinquere, nallent non mori. 346

**CAP.**

## I N D E X.

- CAP. XIII.** De illis, qui non libenter moriuntur ob timorem de peccatis commissis, nec non de iudiciis Dei. Pag. 348
- CAP. XIV.** Quomodo agendum cum illis, qui mallent non mori, eo, quod peccatorum suorum pœnitentiam agere cuperent. 350
- CAP. XV.** De temptatione differendi Confessionem. 351
- CAP. XVI.** De prima causa ex præcipuis, quæ sunt quatuor, propter quam peccator Confessionem differt, scilicet de inhonestâ adhæsione, & affectione. 353
- CAP. XVII.** De secunda causa, ratione cujus Confessionem differt peccator, scilicet ratione odii contra aliquem. 355
- CAP. XVIII.** De tertia causa, ob quam peccator differt Confessionem, id est, ob restitutionem faciendam rerum male acquisitarum. 359
- CAP. XIX.** De quarta causa, propter quam peccator differt Confessionem, videlicet propter pudorem in confitendo. 360
- CAP. XX.** De duobus mediis universalibus, ut infirmus ad libenter moriendum inducatur. 362
- CAP. XXI.** De infirmis tertii status, hoc est illorum, qui itidem tempus habent; conformes sunt divinæ voluntati, & exercere valent animi sui potentias in virtutum actibus

## I N D E X.

- efficiendis ; nec non in quo ipsorum auxilium consistat. Pag. 364
- CAP. XXII. De eo , quod infirmus agere debeat cum medico. 265
- CAP. XXIII. Quomodo se gerere debeant infirmi cum illis , qui ipsis deserviunt. 366
- CAP. XXIV. Quomodo cum infirmitate se gerere beat infirmus. 367
- CAP. XXV. De modo excitandi infirmum ad patientiam ; nec non de arte tolerandi. 369
- CAP. XXVI. De eo , quod ab infirmo peragendum est cum Deo. 372
- CAP. XXVII. De modo , quo uti debemus quibuscunque occasionibus , quæ infirmo accidere solent , ut idem infirmus semper unitus Domino conservetur. 375
- CAP. XXVIII. Quid dici beat , ubi Crucifixi Domini imago præ manibus accipitur. 381
- CAP. XXIX. De modo instruendi infirmum ad singulare certamen cum hoste infernali , ubi in postrema mortis hora ab eo invadetur. 383
- CAP. XXX. De modo instruendi infirmum aduersus Fidei tentationem. 383
- AAP. XXXI. De Fidei protestatione. 385
- CAP. XXXII. De certamine contra spem , & de modo nos defendendi in eo. 387

CAP.

## I N D E X.

- CAP. XXXIII. De tertia aggressione , quæ  
est præsumptio ; & de modo eam repel-  
lendi. Pag. 389
- CAP. XXXIV. De aliquibus monitis infirma  
antecedenter dandis , ut in ultimo puncto  
mortis iis uti possit. 390
- CAP. XXXV. De eo , quid dicendum sit ,  
ubi infirmus per Viaticum communica-  
tur. 392
- CAP. XXXVI. De quarto infirmorum statu ,  
id est de iis , qui parum , aut nihil amplius  
fentiunt , vel valde difficulter aliquem vir-  
tutis actum elicere queunt. 393
- CAP. XXXVII. Quid fieri debet , ubi infir-  
mus e vivis excellerit. 396
- CAP. XXXVIII. De quinto , & ultimo in-  
firmorum statu , videlicet de Convalescen-  
tibus. 398

F I N I S.

